BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
3 G
17
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DISCEPTATIONES
DE IDEIS
IN TRES LIBROS DISTRIBVTÆ

AVTHORE
COMITE SCIPIONE AGNELLO.

Cum duplici, CAPITVM & RERVM, indice.

AD SERENISSIMVM
FERDINANDVM,
S. R. E. Cardinalem, ac Mantuæ
Ducem, & Montisferrati, &c.

Superiorum permiſſu, & Priuilegijs.



VENETIIS, M DC XV.
Ex Typographia Ambroſij, & Bartholomei Dei, Fratrum.
AD SIGNVM SANCTI MARCI.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO

FERDINANDO.

S. R. E. CARDINALI,

ac Duci Mantuæ, & Montisferrati.

SCIPIO AGNELLVS F.

VETVS eſt dictum, teſte in epiſtolis Ariſthaneto, Simile ſimili diuinitus aggregari. Quamobrem contemplationes de Ideis, rudimenta noſtræ Iuuentutis, eo præſertim nomine tibi debentur, quòd & Ideæ rerum effectionis primordia, & cauſæ cognitionis perhibentur: tu verò te ipſum præbes exemplar & regiæ virtutis in populis gubernandis, & diuinæ Sapientiæ in abditis diſciplinarum fontibus inquirendis. Et enim ita Martham complecteris, vt Mariam intereà non deſeras, aureum illud ſæculum referens, quod Plato id temporis fore vaticinatur, quum Reges Philoſophos agerent. Quis enim erit adeò vecors, & barbarus, in extremam vſque Scythiam relegandus, qui te non exiſtimet expreſſam

Digitized by Google

antiquitatis imaginem, quòd belli impenſis diu vexatus, populos numquàm ipſe impenſis vexaueris? Quòd ſi Deus otium fecerit, aureum ſæculum vtique redibit oppidò quàm cumulatiſſimè. Ideæ ſanè, vt Platonis R. P. Ciceronis Orator, eam nactæ ſunt perfectionem, vt mente quidem concipi, ſed in rebus nequeant inueniri. Cæterùm ingenium tuum adeò viuidum, acre, igneum eſt, vt potiùs laudari poſſit, quàm vel pro dignitate æſtimari, vel alicubi reperiri. Incertum enim, an ex Muſarum ſiluis, vel ex antro ducat originem, in quo dixit Heraclitus latitare Veritatem. Ego quidem arbitrer, diuini Numinis legitimum eſſe opus, & progeniem, quam è proprio Idearum ſinu, vbi prius vita extitit, ad torpentia excitanda ingenia Deus ipſe demiſerit. Non eſt ingenium, Ferdinande, tuum, Naturæ eſt, Dei eſt, quamquàm ſi aliquid tuum eſt, hoc potiſſimùm tuum eſt. Quippe antiquas imagines, diuitias, & alia corporis, ac fortunæ bona cum plurimis habes communia, ingeniũ cum nemine, aut propemodùm cum pauciſſimis. Idcircò iure crediderim, ſi Epicurus vitam viueret, teq; intueretur, licèt oppugnator, licèt

Idea-

Idearum hoſtis acerrimus, fore, vt liberè pro-clamet; Nihil certius Ideis. Sed in laudibus tuis immorari nec ſinit imbecillitas noſtra, nec pudor tuus. Hoc vnum rogabo, ne contemplationes de Ideis perlegere dedigneris, quas, vt apices, & faſtigia diſceptationum, quæ aut pertinent ad Philoſophiam, aut ad Theologiam; Naturæ lumine acquiſitam, per omnium ſapientum dogmata diſcurrentes, explicandas ſuſcepimus. Quòd ſi legenda non ſunt, quia noſtra ſunt, hoc ſaltem nomine legenda, quia tibi apprimè congruunt res omnium altiſſimæ, quibus etiam te præbes pro humanæ naturæ viribus valdè conſimilem. Vale. Dat. Mant. pridie Nonas Maij M. DCXIIII.

ALE-

ALEXANDER ANDREASIVS
LECTORI S.

QVum ego cogitarem, viros de Philoſophiâ, ac Theologiâ bene meritos, vix primoribus labijs deguſtâſſe Librum hunc, qui inſcribitur Diſceptationes de Ideis, à Comite Scipione Agnello, generis nobilitate conſpicuo, quemue vnicè penè diligo, & veneror, luculentiſſimè abſolutum, eoſq. Authoris familiaritate, & mutuo colloquio vſos, veritatem citra fucum, & mendaciū in primis profiteri, & haſce Diſceptationes palam celebrare; decreui, Authorem ipſum cōtinuò ferè conuitio efflagitare, vt ius omne Librum edēdi in me transferret. Cæterùm ille diu recuſauit, quòd in libris edendis à tenerâ ætate maturo conſilio opus eſſe, affirmabat. Etenim ille, vt Mantuæ conſtat, nonnullis abhinc menſibus vigeſimum annum impleuit. Sed precibus meis, & literatorum hominum exhortationibus diu fatigatus, denique victus, morem geſſit. Prodit itaque Liber, vel iudice Momo, haud contemnendus. Tuum nunc eſt iudicare, amice Lector, quàm arduum ſit Platonicam Philoſophiam Peripateticæ coniungere, quod profectò nemò præſtitit in hac re, in alijs verò aut nulli adhuc præſtiterunt, aut in pauciſſimis, vt Picus, meritò cognomine Phœnix. Tuum eſt iudicare, quę acies ingenij, qui labor, quæ diligentia requiratur in veterum Philoſophorum placitis è tenebris eruendis; ſapientiſſimorum Theologorum, D. Thomæ potiſſimū, & Scoti, ſententijs enodandis, & conciliandis; & Patrum decretis, præſertim D. Auguſtini, ritè explicandis. Tuum eſt iudicare, quam difficile res altiſſimas eleganter, ſed abſque ijs verbis, quæ inepta quandoque ſunt, & ingenuo cuique Philoſopho mouent ſtomachum, aut riſum citra barbariem exprimere; quùm optima ſentire, & optima dicere pauciſſimis datum ſit, ijſq. ſolùm, quos, vt Poëtam memorem, ęquus amauit Iuppiter, & ardēs in ſidera virtus euexit. An verò hęc omnia prętiterit Author Diſceptationum de Ideis, tuum pariter eſt iudicare. Hoc vnum dixero (quia plura ſentire malim, quàm promere) barbarum fore, & illiteratum, qui tales dotes aſpernetur, & largitorem Deum ſolum, vt par eſt, ſummopere non collaudet.

Dat. Mant. pridie Kal. Iulij M D C XIV.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM
Harum diſceptationum.
LIBER PRIMVS.

De Inuentoribus Idearum.

IDeas diuinitus in ſacris literis traditas eſſe oſtenditur. Cap.1.
Veterum Theologorum, Mercurij, Zoroaſtri, Orphei, & Empedoclis dogmata explicantur. cap.2.
Ethnicum hominem, ſupernaturali lumine illuſtratum, diuinam Trinitatem cognoſcere potuiſſe. cap.3
Diuinum Verbum diuinitus Veteres cognouiſſe. cap.4
Ex Veterum ſententiâ, Deum per eminentiſſimam negationem, & in ſuæ Diuinitatis receſſu cõſideratum, ſupra Ideas, & Mentẽ conſtitui, per eminentiſſimam verò affirmationem, atque vt Creatorem omnia eſſe, & Ideas continere, priorem denique Mente non re, ſed ordine originis. cap.5
Platonis verbis, & ſenſibus aduerſari, qui mentẽ aſſerant Mũdum Archetypum, non ſecundam Trinitatis perſonam. cap.6
Platonem Ideas, per ſe ſubſiſtentes, vt impingit Ariſtoteles, numquàm excogitâſſe, at propriè ſolùm Ideas diuinas, alias verò, non tamen per ſe ſubſiſtentes, ſecundum vmbram & ſimilitudinem. cap.7
Rationes Ariſtotelis aduerſus Platonicas Ideas ſoluuntur. cap.8
Ariſtotelem Ideas in Mente diuinâ, quemadmodum, & Platonem, & noſtros Theologos collocâſſe. cap.9
Deum ex Ariſtotelis ſententiâ non ſolùm eſſe finem, ſed cauſam efficientem. cap.10
Non repugnare diuinæ ſimplicitati ex Ariſtotelis ſententiâ numerum Idearum. cap.11

LIBER SECVNDVS.

De Ideis, vt in ſe ipſis conſiderantur.

DE nomine Ideæ. cap. 1
Ideas eſſe probatur. cap.2.

Ideas

Ideas, quum ipſæ Creaturæ non ſint, ſecundum eſſe eſſendæ ab æterno productæ, neceſſariò eſſe diuinam Naturam. cap.3
Idearum definitio traditur. cap. 4
Idearum numerum diuinæ ſimplicitati non repugnare. cap.5
Ideas non eſſe actu obiectum ſecundarium, ſed tantum ſecundum virtutem, pluſquàm æquipollentem. cap.6
Ideas in diuino Intellectu rationem ſimul & formalem, & obiectiuam eminentiſſimè includere. cap.7
Ideas per ſe primò ſeſe habere in Deo vt cauſam formalem, ſecundariò vt finalem, tertiò vt efficientem. cap.8
Intellectum diuinum directâ cognitione Ideales reſpectus conſtituere. cap.9
Scotum iu opinione Idearum à D. Thomâ non diſsentire, ſi profundè intelligatur. cap.10
De diſtinctione rationis, & ex Naturâ Rei, quatenus in diuinis perfectionibus conſiderantur, nullam eſſe diſcrepantiam inter D. Thomam, & Scotum. cap.11
Nonnullæ dubitationes aduerſus D. Thomæ, & Scoti conciliationem ſoluuntur. cap.12
An Ideata verius eſſe habeant in Deo, vel in rerum Naturâ. ca.13
De intimâ Idearum vnitate. cap. 14
Ideas propriè ad totam diuinam Naturam pertinere, congruâ tamen ratione Filio accommodari. cap.15

LIBER TERTIVS.

Quorum ſint, & ad quid conferant Ideæ.

IDeas conducere ad Animæ noſtræ cognitionem. cap.1
Ideas conducere ad rerum generationem ſtatuitur. cap.2
Ideam Boni rectè poſitam à Platone, quatenus eſt ipſe Deus, omnium rerum Idea ſupereminens, & inadæquata. cap.3
Non eſſe peculiares Ideas rerum, arte factarum, ſed tantùm naturalium. cap.4
Proprias accidentium Ideas eſſe, & non eſſe. cap.5
Singularia proprias habere Ideas, Species quãtum ad eſſe eſſentię dumtaxat, Platonem verò Ideas ſingularium conſtituere. cap.6
Propriã Ideam Materiæ partim eſſe, partim non eſſe. cap. 7
Eorum, quæ numquàm erunt, Ideam virtute ſolùm propriè inueniri, actu verò illorum, quæ vel erunt, vel fuere. cap.8
Deum propriè Ideam malorum non habere. cap. 9

PRAE-

PRÆFATIO.

PRincipio diſceptationum de Ideis oportet me præfari (quod ſolent rerum maximarum ſcriptores) materiã ſanè arduam, & ſacris, reconditiſq. myſterijs redundantem me explicaturum, quæ ad tria potiſſimùm confert, ad Sapientiam, ad Religionem, ad morum Diſciplinam. Confert ad Sapientiam: quia, vt ait D. Auguſt. & Thomas, tanta vis in Ideis conſtituitur, vt niſi his intellectis, nemo ſapiens eſſe poſſit. Sapientia enim circa primarias, altiſſimaſq. rerum cauſas verſatur: qui verò Ideas ignorabit, primarias rerum cauſas ignorabit. Illud autem vulgatiſſimum in coronis diſputantium eſt: Paruus error in principio, magnus in fine: quã de cauſã Plato etiam in Cratylo præcipit longã diſputatione, quàm diligentiſſimè ſtatuẽda rerum principia. Verùm Ideas perſcrutari nil aliud eſt, quàm vniuſcuiuſque principia, & ſubſtantiam perſcrutari. Quamobrem qui aberrat in Ideis, aberrat in omnibus, qui benè ponit Ideas, benè cuncta dijudicat. Proinde inquit Plato in Phędone, nihil ſe habere certius, & firmius, quàm Ideas, & in his totam oſtendi animi diuinitatem. Confert ad Religionem: quia ſine Ideis nec dependentia Mundi à Deo, nec diuina prouidentia ritè ſeruabitur. Vt enim ea, quæ ab artifice fiunt, temerè, & inconſultò fiunt, niſi artifex Ideam rei faciendę præhabeat, ita niſi Deus contineat Ideas, temerè, & fortuitò hic Mundus procreatus eſt, temerè gubernabitur. At de Deo huiuſmodi ſentire, hæc Democriti, & Epicuri ſtultitia eſt, hæc impietas. Confert denique ad morum Diſciplinam: quia, vt ait Clemens Alexand. qui in Idearum contemplatione verſabitur, quaſi Deus inter homines viuet: Nam ab inferis ad ſuperna, à tenebris ad lucem, à falſis

Quantum; & ad quæ conferant Ideæ.

D. Auguſt. lib. 83. quæſ. D. Thom. 1. par. q. 15.

Plato ĩ Cratylo.

Plato in Phædone.

Clemens Alexan. lib. 4. ſtrom.

omniq. mutationi obnoxijs rerum imaginibus ad vera, immutabilia, eminētiſſimaq; rerum exemplaria perueniens, Ideas tantùm eſſe, cętera verò fluere, ac per Mundi huius antrum volitare cenſebit. Siquidem formæ iſtæ ſenſibiles à Platonicis generationes potiùs, quàm formæ nuncupantur: quòd fieri potiùs, quàm eſſe dicendum ſit. Heraclitus, vt perpetuam abeuntium, & aduentantium formarum commeationem ſignificaret, eas Mare appellauit; & Plato affirmat, in Mundo tantùm intelligibili veras rēs inueniri, in Mundo autem ſenſibili rerum vmbras, & imagines. Quocirca Idearum contemplator, humana contemnens, ad ſuper cœleſtia ſolùm animum conuertet. Cæterùm, quia plurimis diſſidijs, tamquàm igne aurum, veritatis lux longè prǽſtantiùs refulget, deuenire contendemus in medium omnium ſapientum certamen, ac diſcrimen. Priſcam Mercurij, Zoroaſtri, & aliorum perobſcuram Theologiam ſub examen reuocabimus. Ariſtotelis, & Platonis, D. Thomæ, & Scoti bella ſedabimus, eorum ſententias & congruè, & profundè pro viribus explicantes: ità vt quicumque ſapientiſſimorum cognomentum adepti ſunt, vnanimi conſenſu diuinas Ideas conſtituentes, in vnam veritatem conuenire videamus.

Platonici quid de formis ſenſibilibus.

Plato in 7. de Rep.

Cogitanti autem mihi omnia genera Idearum, haud vltrà, quàm tria occurrerunt, quæ Idearum nomen à pleriſque obtinuēre. Primum quidem eas, quæ in animis præditis intellectu, poſitæ ſunt, ſecundum angelicas, tertium diuinas complectitur. Sed poſtremæ dumtaxat veræ ſunt, ac propriæ Ideæ. Nam Idea verè, ac propriè illa eſt, quæ tùm cognitionis, tùm operationis principium eſt, quorum ſi alterum auferatur, & propria Ideæ ratio tollitur, & vera perfectiò remouetur. Siquidem perfecta domûs Idea, & domûs cognitionem in mente opificis, & domum in externâ materiâ producit. Cæterùm Ideæ tàm in ipſis Animis, quàm in Angelis conſtitutæ, rerum naturalium creationis principia non ſunt, ſed tantùm diuinæ. Quippe ad ſolum Deum pertinet rerum creatio. Idearum autem abſolutè duplex genus eſt, alterum rerum, quæ arte fiunt; alterum

Triplex genus Idearũ.

Duplex adhuc genus Idearum.

rerum

Digitized by Google

rerum, quæ naturâ conſtant. Sed Ideæ rerum, quæ arte fiunt, neque operoſam exigunt; neque ſubtilem diſputationem: tùm quia ſatis patent: tùm quia in diuino Intellectu verè, ac propriè non reperiuntur, ſed eius vices gerunt Ideæ rerum naturalium, vt dilucidè oſtendemus. Quum itaque de Ideis rerum naturalium agendum ſit, Ideę autem verè, ac propriè ad ſolum Deum pertineant, Ideæ, inquam, rerum naturalium, reliquum eſt, vt ego de diuinis dumtaxat, quatenus veris, & proprijs Ideis, verba faciam. *Lib.3.c.4.* *Ideæ propriè in Deo, non alibi.*

Vniuerſam verò diſputationem in tres libellos diſtribuam. Primus Idearum Inuentores, & illorum dogmata: ſecundus Ideas, prout in ſe ipſis conſiderantur: tertius, quorum ſint, & ad quid conferant Ideę, diſceptationem continebit.

DE INVENTORIBVS IDEARVM

Liber Primus,

CAPVT I.

Ideas diuinitus in ſacris litteris traditas eſſe oſtenditur.

Ex Deo, & Hieruſalē, nō ex Athenis Idearū inuentum.

FALSVM prorſus eſt, Platonem Idearum authorem fuiſſe. Has enim per ſacra Prophetarum eloquia ab antiquiſſimis vſque temporibus diuina bonitas patefecit, mox per varias Philoſophorum ſectas, quippe quæ ſuum lumen per cæcos etiam Ethnicorum animos, inſtar Solis per tenebroſa loca, longè, lateq. diffundit. At ſacra Prophetarum eloquia eas continere liquidò conſtat. Nos quatuor loca afferemus, tria ex veteri, poſtremum ex nouo Teſtamento.

Dicitur in Geneſi: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Verùm homo ad imaginem Dei factus eſſe non poteſt, niſi Deus ſit illius exemplar. Siquidem alterum relatiuorum ſine altero conſiſtere non poteſt, imago autem, & exemplar relatiuè ſeſe habent. Quapropter, quum Deus ſit agens per intellectum, hominis exemplar eſſe non poteſt, niſi formam intelligibilem, id eſt, hominis Ideam præhabeat, quemadmodum & agens per artem non eſt rei artificioſæ exemplar, niſi illius Ideam in intellectu contineat, & agens per naturam phyſicæ rei quodammodo exemplar non eſt, niſi phyſicæ rei formam ſecundum eſſe naturale contineat, vt ignis, qui ignem, homo, qui hominem generat. Quum itaque in Geneſi dicitur, hominem ad Dei ſimilitudinem factum eſſe, apertiſſimè infertur, Moſem de Ideis loquutum fuiſſe. Etenim rectè ait Euſebius Cæſarienſis de præparatione Euangelicâ: Quòd ſi pars Mundi imago

Triplex exēplar, p̄ Intellectū, p̄ Artem, p̄ Naturam.

ima-

Digitized by Google

imaginis eſt, & vniuerſus iſte Mundus ſenſibilis ad exemplar diuinæ imaginis factus eſt. Adſtipulatur ijs, quæ dicta ſunt, diuinus Salomon hiſce verbis. Creauit Deus hominem inexterminabilem: ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Per verba illa, Ad imaginem ſimilitudinis ſuæ, indicat, hominem factũ eſſe ad imaginem tam propriæ Ideę, quàm ipſius diuinæ Naturæ. Siquidem eatenus homo ſimilis eſt diuinæ Naturæ, quatenus ſuæ Ideæ ſimilis eſt. Nam Idea tùm eſt imago, tùm exemplar: imago ſcilicet Dei, & hominis exemplar: Imago Dei, quatenus peculiarem exprimit diuinæ Naturæ participationem, nempè hominem, licèt ſecundum eſſe nil aliud ſit, quàm ipſa diuina Natura, vt infrà dicetur. Exemplar hominis, quatenus homo fit ad illius ſimilitudinem. Quum igitur ait Salomon, Deum creâſſe hominem ad imaginem ſimilitudinis ſuæ, idem eſt ac ſi dixiſſet, Deum creâſſe hominem ad imaginem ſuæ Ideæ, quæ profectò eſt ipſius Dei ſimilitudo, quatenus exprimit peculiarem diuinæ Naturæ participationem. Adnotãdum etiã in verbis Geneſeos: Faciamus hoĩem ad imaginem, vbi Latinè legitur ad imaginem, Hebraicè legi vocẽ ſelem, בצל, quæ propriè ſignificat vmbratilem ſimilitudinem: radix enim illius eſt ſel צל, id eſt, vmbra. Quod ex locis ſcripturæ colligitur, vbi ea vox poſita eſt, vt ex Pſal. 106. Sicut vmbra, cum declinat, ablatus ſum: & ex Pſal. 33. Verumtamen in imagine pertranſit homo. Quamobrem indicat Moſes, hominem quidem imaginem Dei eſſe, verùm à diuino Archetypò immenſo propemodum ſpatio, atque infinito interuallo dèceder. Adnotandum vlteriùs, Philonem Iudæum affirmâſſe, per hominem, ad Dei imaginem factum, haud intelligi deberi ſenſibilem hominem, verùm intellectualem, hoĩs videlicet Ideam, qui Platonicis dicitur αὐτὸς ἄνθρωπος, nempè ipſe homo. At fallitur in hoc doctiſſimus Philo: primò, quoniam homo intellectualis æternus eſt, neque aliud eſt, quàm ipſa diuina Natura, homo autem, de quo loquitur Moſes, corruptibilis eſt, neque eſt ipſe Deus: poſtremò, quoniam Ideæ, quum ſint ipſe Deus, à Deo creatæ non ſunt;

Sal. cap. 2. Sap.

Idea quomodo imago, & exemplar.

Philo in libro de Mundi opif.

ſunt; alioquin Deus crearetur: Philo autem effingit hominem intelligibilem à mortali homine, & à Deo vnâ diſtinctum, à Deo ipſo creatum fuiſſe, quò fit, vt homo ille Philonis anilis fabula videatur, & Poëtarum figmẽtis cõſimilis.

Dauid Pſ. 138. Cecinit etiam propheta: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur, dies formabuntur, & nemo in eis. Vbi per verba, Et in libro tuo omnes ſcribentur, intelligit, eſſe in Deo rerum omnium exemplaria.

Pſal. 146. Adde quod ait Propheta: Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Vbi per verba, Et omnibus eis nomina vocat, ſignificat notitiam diſtinctam eſſe in Deo tùm naturæ, tùm proprietatum omnium aſtrorum: Ideæ autem nil aliud ſunt, quàm diſtincta rerum notitia.

Poſtremus locus ex D. Ioanne deducitur, dum inquit: Quod factũ eſt in ipſo vita erat, &c. etenim ibi vita, vbi intrinſecum exercendæ operationis principium. Quidquid enim viuit, eatenus viuit, quatenus ex ſeſe mouetur, & operatur. *Ariſt. lib. 2. de Anima.* Propterea Ariſtot. ipſum viuere diſtinguit in haſce quatuor operationes, alimento vti, ſentire, moueri ſecundum locum, & intelligere; atque alibi affirmat, viuere idem eſſe ac *Ariſ. 9. Eth.* ſentire, & intelligere. Quum itaque Ideæ in diuinâ Mente ſint intrinſecum exercendæ operationis principium, tùm intelligendi videlicet, tùm agendi, vita iure nuncupantur. Propterea inquit D. Ioannes, quod factum eſt, in Deo vitam fuiſſe, ſignificans, quidquid Deus creauit, in Deo idealiter conſiſtens, Ideas fuiſſe, tamquàm vitam, id eſt, intrinſecum in Deo principium tùm agendi, tùm intelligendi quęcumque ab ipſo Idearum ſinu emanârunt. *D. Aug. lib. 5. cap. 15.* Hoc D. Auguſt. ſuprà Geneſim cumulatè explicauit.

CAPVT

CAPVT II.

Veterum Theologorum, Mercurij, Zoroaſtri, Orphei, Pythagoræ, & Empedoclis dogmata explicantur.

IDearum doctrina longè vetuſtior, quàm multi arbitrati ſunt, ex abditis diuinæ Sapientiæ fontibus in Aegyptum, Chaldæos, Græciam promanauit. Fabuloſam quidem Vetuſtatem Ideas cogitauiſſe, argumento eſt, quemadmodum nonnulli Platonici aſſerunt, cœleſtium Numinum turba, quæ Idearum indicat varietatem. Sic Ideam cœlorum Deum Cœlium appellatam, Saturni Saturnum, ignis Vulcanum, aëris Iunonem, & ſingulas Ideas ſingula Deorum nomina obtinuiſſe. Minerua ſanè, ex Iouis capite orta, quid aliud ſignificat, niſi diuinam Mentem, in quâ Idearum ſeries refulget? Quum enim cerebrum pro intellectu accipiatur, eâ ſcilicet ratione, quòd, vt ait Ariſt. intelligere aut eſt phātaſia, aut nō ſine phantaſiâ, nil aliud ſignificat, Mineruam ex Iouis cerebro ortam eſſe, quàm ex diuino Intellectu. Quum autem & ſapientia ipſa, & ſapientiæ Numen prædicetur, in Ideis verò ſupremus ſapientiæ ordo refulgeat, ſatis conſtat, pro mente, quæ Ideas continet, Mineruam intelligi: quod & Varro affirmauit, & retulit in libris de Ciu. Dei Magnus Auguſtinus.

Numinum turba ex varietate Idearum.

Ariſt. 3. de Anima.

D. Aug. de Ciu. Dei.

Mercurius, Aegyptiæ doctrinæ princeps, ſæpe ſæpius Ideas aſſeuerat. locus eſt in Pimandro: Hoc igitur pacto contemplare Deum, vt in ſe ipſo Intelligentias omnes habentem, habentemq; ſe ipſum, ceu Mundum penitus vniuerſum. In Aſclepio circa finem aſſerit, Pantomorphon, id eſt, omniformem Deum, omnes rerum ſenſibilium ſpecies intellectu comprehendere. Et Iamblichus de myſterijs Aegyptiorum ſic ait: Opifex Intellectus, qui & veritatis eſt dominus, atque Sapientia, quatenus in generationem progrediens, occultam latentium rationum potentiam traducit in lucem, Amum Aegyptiacâ linguâ vocatur. Quatenus

Mercurius Triſmegiſtus in Pimādro.

Triſmegiſtus in Aſclepio.

Iamblichus de myſterijs Aegyptiorum.

tenus autem ſine mendacio peragit omnia, & artificioſè ſimul cum veritate, Phtha nuncupatur. Quatenus verò effector eſt bonorum, appellatur Oſiris, aliaſq; denominationes habet propter potentias, actioneſq; differentes.

Quid Chaldæi de Ideis.

Zoroaſter, Chaldæorum Princeps, de mente diuinâ, quæ Ideas, omneſq; perfectiones, quatenus originem ſumit à Patre, à Patre quodammodo mutuare intelligitur, ita cecinit

Πάντα γὰρ ἐξετέλεσε πατὴρ καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ. id eſt, Omnia perfecit Pater, & Menti præbuit ſecundæ. Propterea Chaldæi cenſebant Ideas Patris cogitationes, vt Pſellus teſtatur, Vniuerſi rationes intellectuales, abſtractaſq; à rebus ſubſtantias. Quæ Proclus confirmat, ex Chaldæorum Oraculis hæc recitans.

Intellectus Patris, emanans perfecto conſilio, Ideas omniformes intelligit, quæ quidem ab vno fonte omnes prodierunt. A Patre enim erat voluntaſq;, finiſq;. Diſtributæ verò ſunt intellectuali quodam igne, atque in alias quaſdam intellectuales deinde diuiſæ. Rex enim multiformi Mundo intellectualem figuram indeficientem præpoſuit, cuius ſecundus Mundus eſt veſtigium, properans vnâ cum formâ, & Mundus apparens omniformibus dotatus Ideis. Fons vnus, ex quo erumpunt diuiſæ aliæ innumerabiles, circa Mundi corpora producentes, quæ circuitu quodam ritè aſſimilatæ ferantur vndique conuerſæ, ſed alibi aliæ intelligentiæ à fonte paterno, tamquàm ab igne ſcintillæ peruigili, circa primordiales Ideas. Prima enim à Patre Idea effluxit, atque fons voluntarius. Hæc ex Oraculis Chaldæorum. In his primò dicitur, diuinam Mentem, Dei progeniem, Ideas continere, quæ ab vno fonte, id eſt, à Patre, in Filium emanârunt. Secundò, Ideas in multiformem Mundum, id eſt, angelicas Mentes, indeſinenter diſtributas. Tertiò autem, in ſecundum Mundum, veſtigium, & imaginem angelici Mundi, nempe in Animas, quæ Mundus apparens vocantur, quia ſeſe habent vt vmbræ Mundi ſuperioris. Quartò denique, alias Ideas, vel potius Idearum vmbras, circa corpora producentes, productas

Triplex Mundus Idealis, Angelus, Anima, Natura.

ductas fuiſſe,nempe rationes ſeminales in Naturã. At ſupra omnes Ideas primordiales Ideas extollunt, ſupra Ideas primordiales Ideã eminentiſſimã,inadæquatam,infinitam,quę à Patre emanauit,Mentem.ſ. immortalẽ, Dei progeniem.

Orpheus quoque, Dux poëticæ ſectæ, Philoſophorum Ideam eminentiſſimam aſſeuerat, de quâ cecinit: Ζεὺς εἶδος πάντων. Iupiter ſpecies omnium. Sed præter Ideam eminentiſſimam vniuerſam quoque Idearum ſeriem agnocit. Sciendum enim, Saturnum, vt Plato edocet, puritatem mentis ſignificare. Ideò græcè Κρόνος. id eſt Κόρος νῦς. latinè Mens depurata, vel Κόρος ὤν τῦ νῦ. id eſt, Mentis ſaturitas, interpretatur. Quoniam verò puritas mentis prouenit à contemplatione, præſertim quum Anima à ſenſibus, & actionibus alienatur, ideò Saturnus contemplationem ſignificat. Proinde in Politico, qui Platonis Dialogus eſt; per regnum Iouis actio, per regnum Saturni contemplatio, quorum iſtud illo fælicius, typicè indicatur. Et quoniam contemplatio eſt imperturbatus ſtatus, & quies, ideò Saturnus Hebraice שַׁבָּת iciabat, vocatur, id eſt, quies, & ideo veri Sabbati dies nobis præſcribitur, vt à ciuilibus actionibus abſtinentes, totis viribus contemplationi incumbamus, ad laudem, & gloriam veri Sabbati, veriq. Saturni, Dei ſapientiſſimi. Quoniam igitur Deus eſt ſumma puritas, abſolutiſſima contemplatio, immobilis quies, ab antiquis Saturnus appellatus eſt, de quo ita cecinit Orpheus: Qui deſtruis omnia, iterumq. reſuſcitas, inſolubilia vincula poſſidens per infinitum Mundum, Saturne, ęternitatis vniuerſę genitor, Saturne, multiplici conſilio prædite. Hîc dicit, Saturnum gignere omnia, & perimendo in noua permutare, vt denotet perpetuam formarum generationẽ iuxta immobile diuinæ voluntatis decretum. Inſuper ait, Saturnum poſſidere per infinitum Mũdum, id eſt, in ſeipſo, inſolubilia vincula, id eſt, infinitas Ideas, quibus Deus ſibimet ipſi, tamquàm principio, medio, & fine omnium rerum, omnia nectit, ac perpetuã quaſi affinitate cõiungit. Idcircò in vniuerſali hymno Deũ vocauit Ἀρχὴν τε, καὶ πέρας, id eſt, principium, & finẽ. Aliâs

Orpheus cõſtituit Ideas

Plato in Cratylo.

Idem in Politico.

Deus ꝑ Saturnum ab Orpheo ſignificatur.

B etiam

etiam de ſummo Ioue ſic inquit Orpheus: Quum abſcōdiſſet omnia, deinceps in lumen gratum emiſit ex ſacro corde, operans cogitata, & mirabilia. In ijs verbis apertè declarat, Iouem in ſe ipſo, & in æternitatis caligine omnium rerum Ideas omnibus oculis, quippe qui & nondum creati erant, abſcondiſſe, deinceps quæ per Ideas meditabatur ex ſacro corde emiſiſſe, id eſt, per ipſum intellectum huic Mundo cōmunicaſſe. Cor enim pro intellectu à Græcis vſurpatur, vt frequenter apud Homerum. Neque id alienum a ſacris litteris; quare dicitur Pſal. 21. Qui requirunt Dominum, viuet cor illorum in ſæculum ſęculi. Ier. 4. Laua à malitiâ cor tuū, Hieruſalem. Et ad Rom. 1. Obtenebratum eſt cor, &c. Denique de ipſo Deo id elegāter Orpheus cōfirmauit hoc metro: Πάντ' ἐσορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις, πάντα βραβεύεις. id eſt, Omnia intus aſpicis, omnia intus audis, oīa diſtribuis. Ex quibus conſtat, cur poëtica Theologia aſſerat, poſt regnum Saturni, Iouem, Neptunum, & Plutonem omnia ſibi mancipaſſe.

Quid Poeta per Iouē, Saturnum, & Plutonem.

Etenim poſt Saturniā vnitatem, vnitatem, inquam, diuinā, intra ſe omnia implicantem, in tres partes ſenſibilis Mūdus partitus eſt, in cœleſtem videlicet, ſubterraneam, & mediā, quæ à Lunâ ad terram protenditur. Cœleſtis per Iouem, ſubterranea per Plutonem, elementaris per Neptunum, quòd ſcilicet Elemēta, & ea, quæ ex Elementis componuntur, inſtar maris ſeſe habeant, ſignificatur. Sed aliud inſuper myſterium aperiamus. Saturnum filios deuoraſſe non ſolùm fabula eſt, ſed reconditum ſenſum includit. Siquidem per Saturni filios Ideas rerum interpretamur, diuinâ intelligentiâ intus genitas. Tunc enim generantur, quum intelliguntur: quippe in ſubſtantijs intellectualibus idem eſt intelligi, & generari, quam ſane generationem Scotus appellat productionem in eſſe intelligibili, vt poſtea dicetur. Metaphoricè autem deuorari dicuntur, quatenus eas, vt plures numeros, intimè conceptos, diuina Natura in ſe ipſam conuertit per ſuam eminentiſſimam Vnitatem, Ideas in ſe quodammodo abſorbentem. Quòd ſi aliquis dicat, aliud eſſe apud veteres Iouem, aliud Saturnum, dico nomina Iouis, & Saturni pro libitis antiquorum varijs rebus accommodari. Sufficit

In ſubſtantijs intellectualib. idē intelligi, & generari. Lib. 2.

Digitized by Google

cit autem Deum varijs rationibus, & Iouem eſſe, & Saturnum. Per Iouē, vt patet ex Politico Platonis, Veteres actionem, & praxim ſignificabant, per Saturnum ſcientiam, & contemplationem. Deum itaque, prout Ideas contemplatur, Saturnum, prout omnia per Ideas operatur, Iouem nuncuparunt. Proinde Plotinus primum Intellectum, & Iouem appellauit, & Saturnum.

Plotinus lib. 3. de duobus Animæ & lib. de tribus Principijs.

Pythagoras porrò, quum omnium rerum principia numeros conſtituiſſet, per numeros Ideas intellexit. Etenim hos numeros definiuit extenſiones, atque actus ſeminalium Rationum, in vnitate regnantiū. Nam quid aliud ſunt Ideæ niſi formales rationes, & ſemina omnium rerum, in ipſa diuinā Vnitate conſiſtentes? Propterea Hippaſus Pythagoricus ita inquit: Numerus eſt exemplar fabricæ mundanæ primum, & inſtrumentum mundani Fabri iudiciarium. Philolaus etiam ſic ait: Numerus eſt imperioſa quædam, & ex ſe progenita ſempiternæ mundanorum perſeuerantiæ continentia. Equidem hos numeros Ideas eſſe, Plato, pythagoricā doctrinā imbutus, etiā atque etiā confirmat. Sed nec Pythagoras, nec Plato propriè numeros eſſe decernunt, quēadmodū Platoni impingit Ariſt. ſed numeros, quos ipſe Ariſt. in 4. Phyſicorū numeratos appellat. Quòd ſi apud Platonē Ideę ſępe numero ſpecies nūcupantur, dubitatio ſane remouetur, an propriè numeros numerātes eſſe voluerit, quū Plato Ideas ita numeros appellet, quemadmodum ipſe Ariſtoteles numeris ſpecies comparauit, & in ſacris literis dicitur, omnia Deum in numero, pondere, & menſurâ feciſſe.

Quid per numeros Pythagoras.

Ariſt. lib. 1. Met. tex. 36 ac deinceps. Idem in 4. Phyſic.

Empedocles per ſphæram intelligibilem, à Venere contētam, nil aliud intelligit, quàm mundum Archetypum, a pulchriformi ordine intra ſe manentis primæ pulchritudinis comprehenſum. Nam, & Zenophanes mundum Archetypū ſphæram nuncupauit, & Saraceni Deum circulum vocant: circulum, inquam, & ſphæram, non quamlibet, ſed cœleſtē: & ideo ab antiquis Cœli nomine Deus appellatur. Sicut enim ſphęra Cęli oēs res corporeas intra ſe ipſam continet, ita Deus omnes res, tam corporeas, quàm incorporeas, ſed incorporeo modo intra ſe ipſum comprehendit. Sed plura

Idea ſphæræ intelligibilis.

B 2 diuini

diuini circuli myſteria aliás explicabimus. Ideæ itaque iure, ac merito ſphæra intelligibilis nuncupantur, ratione ſcilicet, quam attulimus. Dicuntur à Venere contentæ, quia Venerē conſtat pro pulchritudine accipi tam ab antiquis omnibus, quàm ſępiſſime à Platonicis. Nullus verò maior ordo, nulla maior pulchritudo excogitari poteſt, quàm Idealis. Quandoquidem primas formas penitus formoſas eſſe oportet, quum omnis formę, omniumq; formarum ſint origines, & in ipsâ formâ formarum, vt Platonici aſſerunt, pulchriformes, vniformes, & boniformes conſiſtant.

Quid Stoicorū ſeminales rationes.

Stoici demū, & eorū Principes Zeno, & Chryſippus Ideas memorię prodiderūt. Vnde Plutarchus, & Stobęus inquiunt Deū a Stoicis appellari Πῦρ τεχνικὸν, ὁδῷ βαδίζον ἐπὶ γενέσει κόσμου ἐμπεριειληφὸς πάντας τοὺς σπερματικοὺς λόγους, καθ' οὓς ἕκαστα καθ' εἱμαρμένην γίγνεται. i. ignē artificioſū, viâ progredientē ad mūdi generationē, cōtinentē intra ſe oēs ſeminales Rōnes, iuxta quas ſingula Fato deinde fiunt. Ideæ itaque à Stoicis ſeminales Rationes dicuntur, eâ de causâ, quòd vt ſemina omnium rerum Ideæ ſeſe habeant. Proinde Seneca, germanus Stoicus, hęc protulit. Hæc exemplaria rerum omnium Deus intrà ſe habet, numeroſq. vniuerſorum, quæ agenda ſunt, & modos, mente complectitur. Plenus his figuris eſt, quas Plato Ideas appellat, immortales, immutabiles, infatigabiles.

Seneca epiſ. 65.

Soli tamen inter omnes Philoſophos non verè φιλόσοφοι Philoſophi, ſed verè φιλοσώματοι Philoſomati, id eſt, corpōris amatores Epicuræi, omnem à Deo prouidentiam, & Mūdi originem remouentes, Ideas quoque flocci faciunt. Vnde Lucretius cecinit:

Omnis enim per ſe Diuum Natura neceſſe eſt
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur,
Semota à noſtris curis, ſeiunctaq. longe

Mundum verò atomorum concurſu, non Dei ſapientiâ conditum aſſeuerant.

D. Aug. lib. 83. quæſt.

Ex dictis rectè colligitur, Verticem illum Theologorum Auguſtinum doctè loquutum eſſe in hæc verba: Non eſt veriſimile, ſapientes aut nullos fuiſſe antè Platonem, aut iſtas,

quas

quas Plato, vt dictum eſt, Ideas vocat, quæcumque res ſint, non intellexiſſe. Quod enim Vir magnus veriſimile decernit, nos verum eſſe probauimus.

CAPVT III.

Ethnicum hominem ſupernaturali lumine illuſtratum diuinam Trinitatem cognoſcere potuiſſe.

VErùm, quia plurimi ambigũt, an Veteres rectè poſuerint Ideas, recta verò illarum poſitio in eo conſiſtat, vt in diuinâ Mente conſtitutæ fuerint, videamus, num Ideas rectè collocauerint. Hoc autem liquidò conſtabit, ſi probauerimus, Veteres, diuino afflante Numine, ſecundam Trinitatis perſonam cognouiſſe. In primis tamen ſtatuendum eſt, Veteres naturali cognitione Verbum non cognouiſſe: Nam ad Trinitatis caliginem poteſt quis trahi, non ire; attolli, nõ aſcendere. Quemadmodum vapor non euehitur, niſi radio Solis attractus, ita homo niſi gratiâ Dei eleuatus, diuinoq. Numine plenus, ad Trinitatis caliginem peruenire non poteſt. Ratio eſt, quam affert angelicus Doctor 1.p.q. 32. art. 1. Deus cognoſcitur ex Creaturis: At Creaturæ ducunt ad Dei cognitionem, ſicut effectus ad cauſam; Quare Deus naturali tantùm ratione cognoſci poteſt, vt rerum omnium principiũ, & moderator. Eſſe autem rerum omnium principium, ac moderatorem, hoc pertinet ad totam ſimul Trinitatem. Quamobrem pertinet ad vnitatem Eſſentiæ, non ad diſtinctionem Perſonarum. Nemo igitur naturali ratione Deum, vt Trinum, ſed ut Vnum dũtaxat cognoſcere poteſt. Hominem verò ſupernaturali lumine illuſtratum, ad Trinitatis cognitionem aſcendere, Catholicâ Religione, certiſſimâq. fidei veritate docemur. Nec de homine verè Chriſtiano vlla quæſtio. Dubium tamen eſt, an aliquis Ethnicus ante Chriſti ortum, Trinum Deum cognoſcere potuerit, diuino aliquo lumine illuſtratus. Puto equidem hoc fieri potuiſſe. Conſtat enim Sibyllas plurima Chriſti myſteria promulgâſſe, quæ ſupernaturali tantùm lumine reuelari potuerunt. Propterea Sibyllarum Oraculis ad Chriſti Religionem confirmandam ſancti

Trinitas natura lumine haud cognoſcitur.

Ethnicus, diuino lumine illuſtratus Trinitatem cognoſcere potuit.

ſancti Patres adeò crebrò vſi ſunt aduerſus Ethnicos, vt ipſi Ethnici, quemadmodum affirmat Origenes, Chriſtianos Sibylliſtas nuncuparent. Vſus autem potiſſimùm Lactantius, Conſtantini familiaris, cui mentiri non licebat vel docto Imperatori, vel cæteris eiùs tempeſtatis eruditiſſimis viris, qui Chriſtianos vel in minimis acerrimè calumniabantur. Nos locum vnum tantùm, quem attulit Lactantius ex libris Sibyllinis, in medium afferamus. Panibus ſimul quinque, & piſcibus duobus hominum quinque millia in eremo ſatiabit, & reliquias tollens, duodecim cophinos implebit in ſpem multorum, ventos compeſcet verbo, ſternet inſanum mare pedibus pacis, fideq; calcans fluctus perambulabit, morbos hominum reſoluet, viuificabit mortuos, arcebit dolores à multis, omnia verbo agens, omnem infirmitatem curans, miſerabilis, ignominioſus, informis, vt ſpem miſerabilibus præbeat, in manus infidelium iniquas veniet, & dabunt Deo alapas manibus inceſtis, & impuro ore expuent venenata ſputa. Plura id generis addit Sibylla, quorum vnum addamus. Ipſa enim inſipiens Gens tuum Deum non intellexiſti, ludentem mortalibus mentibus, ſed ſpinis coronaſti, & horridum fel miſcuiſti. Proinde quæ Virgilius hauſit ex Sibyllinis Oraculis, atque vſus eſt poëticâ nimis hyperbole erga infantem, filium priuati ciuis Pollionis, à Sibyllâ de Chriſti ortu decantata ſunt.

Origenes lib. 5. contra Celſum.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia Regna,
Iam noua progenies Cœlo demittitur alto.

Qum itaque Sibyllæ, licèt Ethnicæ fuerint, diuino tamen lumine illuſtratæ, Chriſti myſteria promulgauerint, ſatis cõſtat hoiem Ethnicũ aſcẽdere potuiſſe ad Trinitatis caliginẽ Deo ipſo lumen præbente. Quapropter D. Paulus, vt Clemens Alex. teſtatur, in concionibus hæc pronunciauit: Libros quoque Græcos ſumite, agnoſcite Sibyllam, quomodo vnum Deum ſignificet, & ea, quæ ſunt futura. Hydaſpem ſumite, & legite, & inuenietis Dei Filium multò clariùs, & aper-

Clemens 6. lib. ſ.

apertiùs eſſe ſcriptum, & quemadmodum aduerſus Chriſtum multi Reges inſtruerent aciem, qui eum odio habent, & eos, qui nomen eius geſtant, & eius fideles, & aduentum, & tolerantiam. D. etiam Auguſtinus luculentiſſimè probat, quibusdam extra Iſraëliticum genus ante Chriſti ortu Chriſtum reuelatum fuiſſe, ipſos autē Iudæos negare numquam auſuros, neminem pertinuiſſe ad Deum præter Iſraëlitas, quia ſi negarent, facilimè conuincerentur de ſancto Iob, qui alienigena, id eſt, non ex Iſraële progenitus, ſed ex Idumæâ genus ducens, inter veros tamen Iſraëlitas, ſupernæ ciues patriæ annumeratur; annumerandum verò non fuiſſe, niſi ei diuinitus reuelatus fuerit vnus mediator Dei, & hominum Homo Chriſtus Ieſus. Quamobrem antiquis Philoſophis ſacratiſſimæ Trinitatis, & ineffabilium arcanorum diuinitus illapſam cognitionem tribuere conſentaneum erit Chriſtianæ tùm Fidei, tùm Veritati. Quod & ampliùs probamus. Deus per Dæmones, viroſq; malos vera, & humanâ ratione numquàm perſcrutanda arcana hominibus patefecit. Ergo multò magis ea patefacere potuit per Philoſophos, qui licèt Ethnici, ſapientiâ tamen, ac morum diſciplinâ cæteris eminebant. Quòd ſpectat ad Dæmones, id probare poteſt Serapidis Oraculum. Etenim ille conſultus, quisnam eo eſſet beatior, reſpondiſſe hoc diſticho perhibetur.

D. Aug. de Ciu. Dei lib. 18. cap. 47.

Dæmones Trinitatem fatentur.

Πρῶτα Θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς.
Σύμφυτα δὴ τρία, πάντα καὶ εἰς ἓν ἰόντα.

Principio Deus eſt, tùm Verbum, his ſpiritus vnà eſt.
Congenita hæc tria ſunt, cuncta hæc tendentia in vnum.

Auguſtus quoque ab Apolline, cur non amplius reſponſa daret, hęc reſponſa elicuit, vt Nicephorus, & Suidas in Hiſtorijs teſtantur, meminit autem Baronius in apparatu ad Annales Eccleſiaſticos.

Me puer Hebræus Diuos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede iubet, triſtemq; redire ſub Orcum:
Aris ergo dehinc tacitus abſcedito noſtris.

Quòd ſpectat ad viros malos, id patet in ſacro Numerorum libro de Balaam Prophetâ, qui & cum Deo colloquutus eſt, & vera myſteria reuelauit, quin & Chriſti aduentum. Dæ-

monum

monum tam erat mancipium, & Ariolus. Regum etiam 1. cap. 19. legitur, Saul correptũ ſpiritu Domini prophetaſſe: quare ait ſcriptura, factum eſſe adagium: Num & Saul inter Prophetas? Idcircò ait Chriſtus in Euãgelio, plurimos in die iudicij dicturos: Domine in nomine tuo prophetauimus, & Dæmonia eiecimus. Et ipſe dicet eis: Amẽ, neſcio vos. Deus autem malis viris, Dęmonibus, ipſiſq; Ethnicis Sibyllis vſus eſt duplici de cauſâ: tùm vt veritas omnibus Gentibus, ſiue Dæmonibus ſeruiant, ſiue Dæmones odio proſequi ſe magnificè iactent, atque oſtẽtẽt, vt Hebræi, & Mahumetis aſſeclæ, longe fiat credibilior, quippe quæ ab eiſdem aduerſarijs confirmatur: tùm præſertim, vt qui Dæmonibus addicti erant, veritate quoque ab eis promulgatâ, veritatem faciliùs amplecterentur. Hæc duo in cauſâ fuerunt, vt Deus antiquiſſimis Philoſophis Filium reuelaret, adeò vt, diuino agẽte ſpiritu, quæ neque ipſi cognoſcerent, exactè proferrẽt. Proinde in illis à Deo cõſeruata sũt diuinę Sapiẽtiæ ſemina, licèt in alias, ac malas etiã quandoque fruges degenerârint.

Cur Deus Ethnicis, ac Dæmonibus myſteria diuinitus reuelauerit.

CAPVT IIII.

Diuinum Verbum diuinitus Veteres cognouiſſe.

PLotinus, alijque Platonicorum præſtantiſſimi, Arabibus etiam probantibus, & potiſſimũm Auicennâ, arbitrati ſunt, Deum procreâſſe Creaturam quamdam incorporeæ, & intellectualis Naturæ, perfectiſſimam in Creaturarum genere ſupra omnem coniecturam, aut exiſtimationẽ, ac proptereà nullam aliam Creaturam eiuſdem perfectionis creâſſe. Quod ſanè, poſthabitâ vulgatiſſimâ illâ Auicennæ ratione, ab vno ſcilicet non prouenire niſi vnum, hoc validiſſimo argumento obiter probamus. Si duæ ſummæ, ac perfectiſſimæ Creaturæ inueniantur, aut altera earum habet quidquid habet altera, aut non. Si prius datur, vna eſt, nõ duæ. Si poſterius: neutra eſt ſumma, & perfectiſſima. Deeſt enim iſti illud perfectionis, quod eſt in illâ, & illi, quod eſt in iſtâ. Hanc itaque primã Creaturã, quã Peripatetici primã Intelligentiam, Theolo-

Theologi primum Angelũ nũcuparunt, Ideas formaliter in ſe continere, Platonici affirmauerunt, Deum autem dumtaxat ſecũdum cauſam, virtutem, & eminentiam, vt patet ex Plotino. Dixerunt vlterius, hanc Mentem primò creatam vocari à Mercurio Verbũ Dei, & Progeniem, ab Orpheo Mineruam, à Zoroaſtro Mentem paternam, à Pythagora Sapientiam, à Parmenide Sphæram intelligibilem, à Platone Solem inuiſibilem, Filium ipſius boni, Mundumq. Idealem. Verùm contrarium Platonicis ſcitis ſententiam equidem non modò probabiliorem iudico, ſed Sibyllæ folijs veriorem exiſtimo. Falſum enim arbitror, Antiquos illos, per Verbum Dei, Mineruam, & alia, quæ dicta ſunt, primã Creaturam intellexiſſe. Immò intellexerunt Verbum, quod omnia creauit, non quod creatum eſt, eiuſdem cũ Deo Patre eſſentiæ, ac naturæ. Verùm, quanta ſit meæ ſententiæ veritas, validiſſimis authoritatibus demõſtraturus, hoc vnum in primis decerno, Platonem, dum Aegyptum luſtrauit, Idearum doctrinam, quemadmodum & multa alia, ex Aegyptijs deprompſiſſe. Quod communis Philoſophorum conſenſus, & ipſe Auguſtinus abundè teſtatus eſt. Non tamen in Aegypto Hieremiam audiuit, neque ab eo edoctus eſt, quemadmodum aliquando opinatus idem Auguſtinus, plurima tamen ex Moſe & Prophetarum vaticinijs accepit, plurima etiam à Mercurio, quem Lactãtius inter Sibyllas, & Prophetas connumerare non dubitat. Etenim quàm admiranda myſteria, quàm arcana pandit oracula? Neque vt Philoſophus tantùm, ſed vt Propheta loquitur. Hic itaque Mercurius diuinum Verbum, ſecundam, inquam, Trinitatis perſonam diuinitus agnouit. Nos duo loca ex illius Pimandro in medium afferemus, quæ veritatem ſatis luculenter oſtendunt.

Mens ex veterũ ſententia nõ eſt prima creatura, ſed Verbum.

D. Aug. lib. 8. cap. 11. de Ciuit. Dei.

Triſmegiſtus agnouit ſecũdã Trinit. Perſonam.

Primus eſt. Lumen ego illud ſum, Mens, Deus tuus, antiquior, quàm natura humida, quæ ex umbrã effulſit, Mentis verò germen lucens, Dei filius. Cogita quod in te videt, & audit Verbum Domini, Mens autem Pater Deus, neque enim diſtãt ad inuicem, horum vnio vitæ eſt.

Secundus locus eſt. Dei Verbum vnitum eſt opifici Menti, conſubſtantiale enim erat.

Adſtipulatur huic veritati Iamblichus de myſterijs Aegy-

 ptiorum

Digitized by Google

ptiorum hiſce verbis. Primus Deus, & vnus primi Pater eſt Dei, quem gignit in ſolitariâ ſuâ permanens vnitate. Eſt autē exemplar Filij, quo nominatur ſuimet Filius, & ſui Pater, atque vnipater, Deus verè bonus. Ille enim fons eſt Idearum, à quo vtique vno per ſe ſufficiens Deus ſe ipſum explicauit lucem &c.

Iuſt. Martyr in lib. Gēt. admon. Orpheus quoque, vt meminit Iuſtinus Martyr, ita cecinit:

Per cælum iuro te, quod Deus inclitus edit,
Perq; Patris vocem primam, quam tulit ipſe.
Hac & conſilijs mundum firmauerat omnem.

Et aliás

Diuino aſſideas Verbo, quod conſpice ſemper.

Quid autem ſenſerit Orpheus, hoc ſanè pacto explanat Iuſtinus, Martyr ſanctiſſimus, & Philoſophus eximius. Quam quidem vocem Dei Verbum nuncupat, per quod & Cœlum, & terram, & creaturam condidit vniuerſam, ſicut nos docent diuinæ ſanctorum hominum prophetiæ. Quibus quum & ipſe nonnihil operæ apud Aegyptios impendiſſet, didicit, Dei Verbo vniuerſam Creaturam conditam eſſe.

Ex his locis apertiſſimè conſtat, diuinam Mentē, ſiue Verbū, in quo Ideæ ponuntur, ſecundum Veterum dogmata non eſſe quamdam Mentem, & Creaturam, & à Deo ſubſtantiâ diſtinctam, verùm & increatam, & ſubſtantiâ prorſus eamdem cum Deo. Siquidem Mercurius; Modò, inquit, Patrem, & Verbum non diſtare ab inuicē, modò Verbū Patri conſubſtantiale eſſe, modò Patrē genuiſſe Filium in ſolitariâ ſui ipſius vnitate permanentem. De primâ verò Creaturâ hæc dici non poſſunt: quippe à Plotino, alijſq. Academicis, diſtincta à Deo ſecundum eſſentiam, & naturam prædicatur.

Plato in Sophiſta. Quum igitur Plato Aegyptum luſtrauerit, Idearum opinionem à Mercurio ſuſcepit. Quamobrem Idearum inuentū non ſuum affirmat, ſed virorum, qui ſapientiâ præſtiterunt. Quòd ſi Mercurius exiſtimat, Mentem, in quâ & Plato Ideas ponit, conſubſtantialem Patri eſſe, iam ſatis conſtat, in Platonis doctrinâ diuinam Mentem non primam Intelligentiam,

aut

Digitized by Google

aut Angelum,ſed Verbũ,quod omnia creauit,non quod creatum eſt, appellandam eſſe. Diuinum autem hoc myſterium,& humanum captum excedens, facilè credidit Plato: tùm quia diuino lumine illuſtratus: tùm quia de rebus diuinis credendum,inquit,filijs Dei, etiamſi nullas afferant rationes, Maximo ſcilicet Areopagitæ maximè congruens, qui ita loquitur: Eſto nunc quoque nobis diuinorum eloquiorum lex illa præſcripta,per quam eorum,quæ de Deo dicuntur,veritatem aſſeueremus,non in perſuaſorijs humanæ ſapientiæ rationibus, ſed in demonſtratione poteſtatis eius,quam Sãctus Spiritus in Theologis ſuſcitauit. Verùmtamen ex Platonis ſentẽtiâ Mentem primam Creaturam non eſſe, & Deum ipſum,'nõ deſunt rationes,quibus hoc demonſtretur. Equidem ſecundum Platonem Deus habet rerum omnium prouidentiam, Cęlum,terramq́. implet,nihil eum latet,omnia videt, ſeruat,cognoſcit. Proptereà in 10.de Legibus inquit: Numquam à Deo negligeris,nec ſi ita paruus ſis,vt in terrę profundum ingrediaris, nec ſi adeò ſublimis fias,vt in Cœlum voles. At quia exactam rerum prouidentiam nemo habere poteſt, niſi habeat ſingulas rationes omnium rerum, quæ ab ipſo dependent, idcircò Deus rerum omnium prouidentiam non habebit, niſi omnium rerum ſingulas rationes in ſeipſo contineat. Quum autem rationes omnium rerum ſint Ideæ, oportet illum habere omnium rerum Ideas. Verùm,ſi dicamus, quod aiunt Platonici, Mẽtem illam eſſe primam Creaturam, omnẽ à Deo prouidentiam remouemus, quod ipſi Platoni aduerſatur. Nam iſti primæ Creaturæ, ſecundum eoſdem Platonicos,à Platone Ideæ formaliter tribuuntur, quum ipſa Mundũ creauerit, Mũdum gubernat, vt patet ex plurimis diuini Philoſophi Dialogis. Proinde Speuſippus aſſeruit, Mentem eſſe primum Ens,proprium principium cæterorum Entium,Mũdi fabrum, atque interminabilẽ Diuinitatẽ, ab vno ſuperiore pendentem. Dicunt inſuper Platonici, Ideas ex Platonis ſententiâ in Deo formaliter non eſſe, verùm ſecundum cauſam, & virtutem, ita vt Deus quidem ſupra Ideas, & abſque Ideis reluceat,Idearum tamen ſeriem in mente generet, & conſtituat,perinde ac Sol,qui caloris expers omnia calefacit.Quum

Plato in Timæo.

Dionyſ. de diu. Nom.

Prouidẽtia exigit Ideas

Plato in Timæo, atque alibi.

Ideæ ſunt in Deo per modum virtutis, nõ formæ.

Digitized by Google

itaque Deus habeat Ideas per modum cauſæ, Mens verò ſola formaliter, manifeſtè ſequitur, Deum rerum prouidentiā non habere. Deus enim, ſi formaliter, vt aiunt, non habet Ideas, neque habet rerum in ſe ipſis diſtinctas rationes, ſed tātùm eſt cauſa ordinis Idearū, quæ in Mente collucent. At dicant, quæſo Platonici iſti, num Paterfamilias egregiam prouidentiam haberet, ſi filio totius familiæ curā traderet, ipſe verò ſingula, quæ fierent, neſciret, hoc tantùm optimus curator, quòd traditione ſuā vniuerſę filij prouidentiæ cauſa fuiſſet? Dicant quæſo, an Rex ille optimè prouideret, qui de nullis curans, in prægratum miniſtrum omnem gubernationem transferret? Ita profectò ſeſe habet Deus ex iſtorum ſententiā: quippe qui nō habens in ſe ipſo Ideas, quæ ſunt diſtinctæ rerum omnium rationes, neque in ſeipſo habet prouidentiam, quæ oritur, & cōſiſtit ex diſtinctis rerum omnium rationibus: quare neque ipſe prouidet, ſed eſt in causâ, vt mens duntaxat prouideat. Cæterum cauſalis tantùm prouidentia potius eſt negligentia, Deo nūquam tribuenda, & Platoni minimè conſentanea, qui Dei prouidentiam adeò accuratam, diſtinctam, exactam, vniuerſalem affirmauit. At fortè inquient Platonici, numquàm ſe negâſſe, Ideas ex ſententiâ Platonis verè, ac formaliter Deo conuenire. Deum enim, quatenus conſideratur illius dumtaxat eminentiſſima Natura, & rerum ab illo emanatio, non perpēditur verè, ac formaliter Ideas non habere. Nam ſi nihil feciſſet, aut facere cogitâſſet, Deus ſibi, & ſuum ei eſſe ſufficeret: ſibi enim perfectio, ſedes, regnum, beatitudo, omnia eſt: Deū tamen, quatenus conſideratur vt omnium rerum principium, & finis, oīum rerum Ideas continere. In primo ſenſu profectò veras, & formales Ideas Deo tribuēdas, in poſtremò negādas. In poſtremo aūt ſenſu nō eſſe abſurdū, vt Deus, & prima Creatura, licèt ſubſtantiâ diſtinguātur, in eo tn̄ conueniāt, vt Ideas verè ac formaliter contineant, licèt in primo ſenſu foret abſurdum: in primo enim diuina prouidentia à Deo remouetur, in poſtremo aſſeritur. Verumtamen vos paucis volo, ò Platonici, hic eſt ſcopulus, quem rationes veſtræ offendunt, quo & concidunt, & infringuntur. Nam ſi Platonis, quin & veſtra dicta ſectari vultis ad vnguem, concedatis nonne oportet, primā

Cauſalis Prouidētia potius eſt negligentia.

Creatu-

Digitized by Google

Creaturã, quam Mentem vocatis, omnes Creaturas, mundũq; ipſum produxiſſe? At creationem rerum vbi Deo tribuitis? De illâ nec verbum quidem. Detur igitur, quod affirmatis, tàm Deum, quàm Mentem veras, & formales Ideas continere. Quonam pacto Deus, ſi ex veſtrâ ſententiâ Creator non eſt, veras, & formales continet Ideas? Nam illæ ſolæ veræ ſunt, ac propriè Ideæ, quæ tàm effectionis, quàm cognitionis rerum principia ſunt, quorum ſi alterum auferatis, aufertis Ideas. Artifex enim per Ideas, & cognoſcit, & operatur. Vos ergo negatis, Deum habere veras, ac formales Ideas: quoniam ex ſententiâ veſtrâ nihil per Ideas efficit. Veſtræ autem illi Menti veras Ideas tribuitis: quoniam veſtra illa Mens omnia per Ideas creauit. Proinde veſtra cauſa ex vtroque latere coarctatur, vt ſi Deo formales Ideæ tribuantur, eum Creatorem aſſerere oporteat, atque hoc pacto, & vobis aduerſa pronunciabitis, & duo eiuſdem mundi Creatores ſtatuetis, quod ridiculũ eſt: ſi verò formales Ideæ a Deo auferantur, ab eo prouidentia remoueatur. Neque omninò inuenitur exitus, vbi dicitur: ſi prouidet omnibus, cur non habet veras Ideas? Si non eſt Creator, quomodo habet veras Ideas? In hæc igitur abſurda incidunt, qui Mentem ex ſententiâ Platonis à Deo ſubſtantiâ diſtinctam aſſeuerant. Qui autem ſtatuunt Mentem eiuſdem eſſentiæ cum Deo, idem incommodum non patiuntur. Nam ſi Mens eadem eſſentiâ cum Deo conſtituatur, attributa eſſentiæ vtriſque conuenient. Quamobrem cum creare, prouidere, ac ſimilia ad vniuerſam diuinam eſſentiam pertineant, Ideæ ſanè, quæ ad ipſum Bonum, ſiue Patrem, ſpectabunt, ſpectabũt etiam ad Mentem, ſiue Filium, licèt quodámodo de Patre dici nõ poſſint, quatenus Filio approprientur, vt poſtea dicetur. Supereſt, vt nonnulla Platonis dicta ad examen reuocemus. In Philebo ſic ait: Omnes ſapientes, ita extollentes ſeſe, conſentiunt, Intellectum eſſe Cœli, terræq. Regem. Hîc Plato intelligit Mentem, non quæ creata eſt, ſed quæ creauit. Etenim ſecundùm Veteres hic loquitur, Veteres autem, vt patet ex Mercurio, à quo talia Plato deprompſit, Mentem Deo conſubſtantialem aſſeuerant. In eodem Philebo vocat Mentem eius cauſæ progeniem, quæ omnium eſt cauſa, & alibi vocat Patrem ipſum

Mens, non Deus ex Platonis ſententia Mundũ creauit.

Illa nõ ſunt vera Ideæ, quæ nõ ſunt principia tã cognitionis, quã effectionis.

Lib. 2. c. 15.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ipſum bonũ, filiũ verò ipſius boni Solem intellectualẽ, ipſiusq; boni Ideã. Quo in loco adnotandũ eſt, Platonem vocare ipſam Mentẽ Solẽ intelligibilẽ, quia, ſicut Sol videtibus præbet lumẽ, vt videãt, ita Sol intellectualis intelligenti pbet lumen, vt intelligat. Maximè autem adnotandum, in eodem Dialogo, Mentẽ vocari progeniem ipſius boni, quod a Platone pro Deo Patre accipitur, & ſimul Ideam boni appellari. Verumtamen Plato ſecus decernit, vbi hæc profert, de Ideá Boni verba faciens. Aſſerendum eam omnibus omnium bonorum, atque rectorũ cauſam eſſe, quam ipſa in loco viſibili lumen creauerit, & luminis Authorem, in ipſo verò intelligibili regnet ipſa, Veritatemq́. & Mentem protulerit, quam noſſe neceſſe ſit omnẽ quicũque ſanã mẽte quidquam vel priuatim, vel publicè eſt acturus. Hic ait Plato, Ideam boni eſſe Deum, qui Mentem genuit; ſuperiùs tam dixit, nempe in 6. de Rep. Ideam boni eſſe Mentem, quæ genita eſt à Deo Patre. Ergo vel Plato ſibimet aduerſatur, quod tanto Philoſopho indignum: vel dicendum, Platonem ſibimet non aduerſari. At ſi dicatur ſibimet non aduerſari, vel exiſtimat, Mentem eſſe a Deo naturá diſtinctam, vel non exiſtimat. Si primum : oportet tam Deum, quàm Mẽtem eſſe Ideam boni. Sed hoc fieri non poteſt, etenim de ratione Ideæ boni, vt Ideæ boni, eſt ipſius boni appellatio: alioquin Idea boni non diceretur. Cæterum in via Platonis numquàm Menti ipſius boni appellatio tribuitur. Deus enim, quatenus à Mente diſtinguitur, ipſum Bonum à Platone vocatur. Vnde ſi à mente ſubſtantiá diſtingueretur, quatenus ſubſtantiá diſtingueretur, ipſum Bonum a Platone nuncupari oporteret. Nam quod aliud nomen concederetur, quod ſubſtantiæ diſtinctionem ſignificaret? Dicant Platonici, ſi ſciunt. Mens igitur, quatenus à Deo ſubſtantiá diſtinguitur, Idea boni vocari non poteſt. Confirmatur: quoniam ex Platonis ſententiá Deus eſt Idea boni, quia dum ſe ipſum intuetur, boni exemplar intuetur, quum ſit ipſum Bonum; quare neque eſt Idea boni. Idcirco, ſi à Deo naturá diſtingueretur, boni quidem foret imago, quatenus à Deo facta eſſet vt quædam diuinæ bonitatis imitatio, non tamen boni foret Idea. Inſuper, ſi Mens, & Deus naturá diſtinguerentur, Mens autẽ eſſet Idea boni,

Plato in 6. de Rep.

Plato in 7. de Rep.

Mens ex Platonis ſententia Bonũ nõ vocatur.

Digitized by Google

boni, vt manifeſtè ait Plato, ſequeretur, Deum Ideam boni nõ eſſe, quod Platoni aduerſatur. Quum.n. ſola Mens, ut ait Plato, Mũdũ creauerit, rectè cõficitur, Mẽtẽ eſſe verè, ac propriè Ideã boni, quoniam omnia bona per Ideas effecit. Quomodo autem Deus vocari poteſt Idea boni, ſi nihil boni per Ideas creauit? Si dicatur ſecundum, nempe Mentem à Deo eſſentiã nõ diſtingui; Plato nuſquàm ſibi aduerſatur. Nam licèt ſecundum rationem in viã Platonis Deus vnã & Mens Idea boni eſſe nequeant, quoniam ipſe in 6. de Rep. inquit, Auguſtior eſt ipſius boni Maieſtas, attamen ſecundum rem tàm Deus, quàm Mens Idea boni vocari poſſunt. Ratio autem, quare Mens ſecundum quemdam intelligẽdi modum Idea boni non eſt, hęc mihi videtur: quod boni proprium eſt ſe ipſum diffundere. Solus autem Pater ſe ipſum in Filio diffudit, nõ Filius in Patre: Pater enim ingenitus, Filius genitus eſt. Quare Idea boni, quatenus ita Patri accõmodatur, Filio non competit. Attamen ſecundum rem, quia nomen Ideæ boni ad vniuerſam diuinam Naturam pertinet, Pater autem, & Filius ſunt vna, eademq. natura, ideò, & Pater, & Filius Idea boni iure dicuntur. Hoc pacto Idea boni nil aliud ſignificat, quàm eminentiſſimam diuinam fœcunditatem, omnium bonorum initium, finem, exemplar. Quatenus etiam Deus conſideratur in ſolitariã ſui ipſius diuinitate, Mundum non creauit. Quatenus autem diuinũ Verbum, omnium Idearum ſerie refulgens, animaduertitur, Filio ſoli creatio tribuitur. Et hoc pacto ſecundum quemdam alium intelligendi modum Filio Idea boni appropriatur, a Patre remouetur. Cum hoc tamen rectè ſemper ſeſe habet, Ideã boni tam ad Patrem, quã ad Filium pertinere, quia pertineat ad ipſius diuinæ Naturæ vnitatem. An verò huiuſmodi rationum, ſiue modorum intelligendi diuerſitas, ſiue appropriationes rectè fiant, deinceps oſtendemus. Hæc denique Mens à Platone in epiſt. ad Hermiam Cauſa nuncupatur, dum ipſe inquit: Teſtando Deum rerum omnium Ducem, præſentium, & futurarum, & Ducis, ac Cauſæ Patrem Dominum. In epiſt. ad Dionyſ. omnium Rex vocatur, dum ipſe inquit: Circa omnium Regem omnia ſunt, ipſius gratiã omnia, ipſe cauſa pulchrorum omnium. Circa primum prima, circa ſecundum ſecunda

Mens, & Deus ſunt Idea Boni.

Re ipſa tamen, non ratione.

Lib. 2. c. 15.

cunda

Conſenſus Platonis cũ ſacra Theologia. cunda, circa tertium tertia. In Epinomide verò dicitur Verbum, dum ipſe hæc profert: Diuiniſſimum Verbum Mundum viſibilem exornauit. Mirus eſt vtique Platonis cum ſacrâ Theologiâ conſenſus. Quod a Platone Verbum vocatur, à D. Ioanne Verbum vocatur: In principio erat Verbum &c. A Platone omnium Rex, à D. Paulo in epiſt. ad Timotheũ, Rex regnantium, & Dominus dominantium. A Platone Cauſa, & Faber mundi, à D. Ioanne Verbum, ſine quo factum eſt nihil, à quo omnia facta ſunt. A Platone ipſius Boni progenies, à voce Dei Filius Dei: Hic eſt Filius dilectus, in quo mihi bene complacui. A Platone Sol intelligibilis, à ſacrâ Scripturâ Sol Iuſtitiæ. A Platone Lux beatiſſima, ſine quâ nihil intelligitur, à D. Iac. epiſt. 1. Pater luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, omnium donorum, ac bonorum Fons, & Principium. A Platone Mens, Veritas, Sapientia; item à ſacris Prophetarum oraculis, vt conſtat. Sed iam huic ratiocinationi colophonem addamus, illud ſolùm poſtremò addentes, Origenem, ſi quæ dicta ſunt, intimè conſideráſſet, Arrianorum hæreſim ex Platonicis fontibus hauſurum nõ fuiſſe, quum Plato ipſe, diuino lumine illuſtratus, Filium in diuinis Patri conſubſtantialem affirmet. De opinione tamen Origenis alibi non pauca.

CAPVT V.

Ex Veterum ſententia, Deum per eminentiſſimam negationem, & in ſuæ diuinitatis receſſu conſideratum, ſuper Ideas, & Mentem ſupra omnia conſtitui, per eminentiſſimam verò affirmationem, atque vt Creatorem, omnia eſſe, & Ideas continere, priorem denique Mente non re, ſed ordine originis.

Diximus in præteritâ diſputatione, Mentem diuinam à Deo reuerà non diſtingui ſecundum Platonis doctrinam, immò eamdem eſſe cum Deo eſſentiâ, & naturâ. Sed hęc ſentẽtia obiectione labefactari videtur, quæ huiuſmodi. Deus
1. Obiectio. ſecundum Platonẽ ita eſt ſimpliciſſima lux, abſolutiſſima certitudo,

titudo, eminentiſſimus ſuimet intuitus, vt neque ſub Ente, neque in Ente, neque cũ Ente, at ſupra Ens collocetur, neque infra Intellectum, neque cum Intellectu, vel intelligentiâ, vel intelligibile, at ſupra Intellectum, intelligentiam, omneq́. intelligibile conſtituatur. Item eſt ſupra omnem Eſſentiam, Veritatem, Sapiẽtiam, Bonitatem, Aeternitatem. Quin, vt ait Magnus Dionyſius, eſt intelligibilis, intelligentiæ, & nominis vacuitas. Ex quibus colligitur, nullas in Deo Ideas eſſe, quia eſt ſupra intelligibilia, intelligibilia verò ſunt Ideæ. Adde, Mentem ſecundum Platonem ex rerum principijs componi, primum Ens, primum Intellectum, prima Intelligibilia comprehendens vocari. Cæterùm quod eſt compoſitum, idem ſubſtantiâ eſſe non poteſt cũ re ſimpliciſſimâ: quare nec Mens communem habebit cum Deo eſſentiam, & naturam. Præterea: in Trinitate nihil eſt prius, aut poſterius, vt inquit Athanaſius: At ſecũdum veteres Theologos Mens, ſiue Filius Patre poſterior eſt; Hinc Zoroaſter:

Deus ſupra intellectũ, ſupra Ens, ſupra omnia.

2. Obiect.

3. Obiect.

Athanaſ. in Symbolo.

Πάντα γὰρ ἐξετέλεσε πατὴρ, καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ.

Omnia perfecit Pater, & Menti præbuit ſecundę. Atque alibi:

Ἑαυτὸν ὁ πατὴρ ἥρπασεν,
Οὐδ᾽ ἐν δυνάμει μὲν ἐδρᾷ κλείσας ἴδιον πῦρ.

Id eſt, Pater ſe ipſum rapuit, neque in Mente quidem, quæ illũ ſequitur, proprium incluſit ignẽ. Quaſi dicat, nullam habet cũ cæteris comparationem. Mens igitur non eſt eadem eſſentiâ cum Deo. Ampliùs: in Trinitate nihil maius, aut minus, ſed æqualis gloria, coæterna Maieſtas. Verùm ipſum Bonũ, quod Mẽtem genuit, auguſtius eſt ipſius Filio, ex Platonis ſentẽtiâ, vnde inquit: Auguſtior eſt ipſius Boni Maieſtas. Non igitur Mens ex eorum opinione, qui Veteres Theologi dicti ſunt, Patri conſubſtantialis dicenda eſt.

4. Obiect.

Plato in 6. de Rep.

Pro reſponſione conſiderandum eſt, nos vti poſſe, vt accedamus ad rei cognitionem, duplici medio, affirmatione, & negatione. Etenim de quâlibet re vera eſt affirmatio, & negatio. Quippe de plantâ dicere poſſumus, eam neque animal eſſe, neque auditum habere, neque viſum, & huiuſmodi, paritерq́. tùm corpus eſſe, tùm animam habere vegetantem, & ſimilia. Negatione igitur, & affimatione Deus cognoſcitur. Negatione remouemus à Deo quidquid non eſt Deus, per il-

Duplex medium cognitionis, affirmatio, & negatio.

lius opera gradatim progredientes. Affirmatione dicimus de Deo,quòd ex creaturis illi tribui poteſt per analogiã. Sed hæc nobis familiarior, illa verior, Deus enim poſuit tenebras latibulum ſuum, vt ait Propheta. Negatio autem ignorantiã præſefert, affirmatio ſcientiam. Quòd ſi de Deo negamus omnia, tunc apertè cognoſcimus, Deum ſupra omnia eſſe, nulluniq́. nomen eſſe, quod de Deo vel concipere, vel enunciare valeamus, quum nullum prędicatum Dei naturam exprimere poſſit, quin & ab ipſá in infinitum ſuperetur. Et ſciendum eſt, omnem affirmationem de Deo aliquam cõtinere eſſentialem negationem: è contrà verò nullam negationem de Deo aliquã continere eſſentialem affirmationem. Si Deum Ignem vocamus, intelligimus ignem, ſed non vtique ignem, vnum ex Elementis. Quamobrem negamus de Deo ignis eſſentiam. Quòd ſi Deum Non ignem appellemus, equidem affirmare non poſſumus, Deum eſſe ignem. Quamobrem non affirmamus de Deo ignis eſſentiam. Propterea inquit Damaſcenus, nonnulla de Deo affirmari, quæ virtutem habent ſuperexcellentis negationis. Aegydius hanc eſſe cauſam ait, cur Auerroës prædicationes, quæ Deo accommodamus, propoſitionibus mathematicis ſimiles eſſe pronunciet. Mathematica .n. ſunt in rebus, ſed non eo modo, quo intelligimus, quum lineam, quæ eſt in materiã, non eã ratione, quã eſt in materiã, intelligamus. Negatione igitur Deum à rebus ita ſemouemus, vt illum eminentiſſimè conſiderantes, Orphicum illud canere debeamus.

Cuncta fouens, atque ipſe ferens ſuper omnia ſeſe.

vel illud Prophetę. Nubes, & caligo in circuitu eius. Quoniam verò negatio aliquam includit analogiam, & affirmatio negationem, ideò neque affirmatio negationi, neque negatio affirmationi aduerſatur. Cauſa eſt: quoniam quæ negamus de Deo, propter eminentiſſimam illius perfectionem negamus: quæ verò affirmamus, non affirmamus vt res creatas, ſed vt cadere poſſunt ſub Intellectûs notitiam, non vt imperfectas, quemadmodum reuera ſunt, ſed vt eminenter perfectiſſimas, quemadmodum imaginamur. Vnde affirmatio, & negatio in idem coincidunt. Dicentes enim perfectiſſimè aliquam rem, puta ſapientiam, in Deo eſſe, dicimus in Deo eſſe modo Dei, modus autem Dei non eſt modus rei, atque hoc pacto

Damaſ. lib. 1. Sent. ſuæ Theologiæ.
Aegydius lib. 1. Sent.
Auerroes 12. Met.
Deus negatione ſupra, et extra omnia conſtituitur.

Affirmatio, & negatio in idem coincidunt.

pacto Deus non eſt ea res, quæ dicitur de Deo. Quum itaque Deus per negationem eminentiſſimè cōſideratur, eius neque nomen eſt, neque opinio, vt magnus ait Dionyſius, & in hoc ſenſu à Platone de Deo negantur Intellectus, Ens, Bonitas, Sapientia, & huiuſmodi. Attamen ſecundum eumdem Platonem Deus nuncupari poteſt per affirmationem Ens, Intellectus, & huiuſmodi. Quamobrem ad primam obiectionem reſpondetur, Deum, licèt ſecundum negationem ſupra intelligibilia, & Ideas conſtituatur; non tamen ſecundum affirmationem. Habet quidem Ideas, non more noſtro, vel angelico, id eſt, acceptas ab alio, ſed diuino, id eſt, ipſa diuina Natura eſt diuina Idearum coordinatio. Ad ſecundam reſpondetur, Mentem compoſitam dici non ſecundum rem, at ſecundum rationem; ſiue noſtrum concipiendi modum, quatenus videlicet plures in Deo ponentes Ideas, Ideas per modum numerorum, & compoſitionis ſignificamus. Dicitur compoſita ex rerum principijs, non re, ſed tantùm ratione: compoſita, inquam, ex infinito, quatenus Ideæ ad innumera extra ſe referuntur; ex termino, quatenus quælibet Idea ſeſe habet vt vna forma certiſſima ſimul, & abſolutiſſima: terminus enim apud Platonem pro formâ accipitur, quòd ſcilicet forma terminat materiam, quæ ad plures formas potentiâ ſeſe habens, nullo certo limite coërcetur. Quapropter Deus, & Mens vnã prorſus habēt ſimpliciſſimam naturam; ratione tantùm componuntur. Plato autem ſecundum rationem Deum à Mente diſtinguit, quia Deus poteſt duobus modis conſiderari, vt etiam ſuperiùs indicaui. Primò, quatenus in ſuæ Diuinitatis receſſu ſolitarius permanens, nihil reſpicit extra ſe, nulloq; pacto ad res creatas refertur: & in hoc ſenſu omnem excedit Idearū appellationem, ſupraq; Ideas, & ſine Ideis conſtituitur. Secundò, vt rerum omnium Opifex, & Pater, atque ita diuinum Verbum, per quem omnia facta ſunt, vt Hominis, Equi, Leonis, omniumq; rerum exemplar conſideratur, & in hoc ſenſu Mens Deus vocatur, omnium Idearū ſeriem intra ſe ipſum comprehendens. Hæc porrò quàm diligentiſſimè perpendenda ſunt: alioquin libri magni Dionyſij, noſtræ poſt Apoſtolos Theologiæ Principis, nempe de myſticâ Theologiâ, & Diu. Nom. intelligi nō poſſunt, in Platonicis autem ſomnia, & commenta perabſurda

Dionys de myſtica Theologia.

Reſponſio ad 1. obiectionem.

Ad 2. obiect. Mens compoſita, nō re, ſed ratione.

Forma terminus à Platone vocatur, quia terminat materiam.

Deus quomodo ſupra Ideas, & ſine Ideis.

Item quomodo habet Ideas.

Digitized by Google

Ad 3. obiect. nobis effingimus. At tertiam obiectionem reſpondetur, quum Veteres Theologi aſſerant Mentem, vt dictum eſt, Patri conſubſtantialem, & eam quoque aſſerant ſummi Patris progeniem, progeniem verò eſſe neceſſariò includat ordinem originis, quo Pater à Filio non eſt, Filius à Patre eſt, rectè colligi, Veteres poſuiſſe inter Patrem, & Filium prius, & poſterius nō ſecundum aliquam durationem, at dumtaxat ſecundum ordinem originis. Etenim ſecundum eos tam Pater æternus eſt, quàm Filius, quum ſint eadem ſubſtantia, & ideo Pater non eſt prior tempore, Filius poſterior. Sed quia ſecūdum eos Filius à Patre eſt, Pater à nullo eſt, ideò Pater eſt prior ſecundum ordinem originis, Filius poſterior, nec tamē, quia Patre hoc modo poſterior, eſt Patri inæqualis. Siquidem cum prioritate naturę coæternitas durationis rectè ſemper conſiſtit, quemadmodum ſi ignis æternus fuiſſet, ſplendor quidem, originis ſui naturæ ordine, foret igne poſterior, ſed numquam temporis ſucceſſione. Ex quibus patet, quàm benè veteres Theologi cum Fide Catholicâ cōueniant. Eſt enim dogma Fidei, Patrē à nullo eſſe, Filium à Patre, quod ſanè dogma intimè ſemper, & profundè includit, Patrem eſſe priorem, Filium poſteriorem ſecundum ordinem originis. Et quamuis hoc neget D. Thomas, Scotus autem aſſerat, ſciendum, vt rectè quoque adnotat Caietanus, litem eſſe in verbis, non in ſententijs. Scotus enim intelligit, prius illud eſſe, à quo aliud eſt, poſterius verò, quod ab alio eſt. Pater autem non eſt ab alio, ſed Filius à Patre: Ideò Pater eſt prior origine, Filius poſterior. Neque hoc alienum à Catholicis Patribus. Hinc Damaſcenus Patrem aſſerit maiorem Filio, non naturâ, ſed cauſalitate, id eſt, origine, vt exponit Clithouęus. Et Hugo de S. Victore hæc profert: Prius, & poſterius hoc loco intelligi volumus, non temporis ſucceſſione, ſed ordine naturę, vel originis. Nec deſunt exēpla apud Baſilium, Auguſtinum, & alios, quæ in eorum lectione vel mediocriter verſatus quiſque apprimè nouit. Angelicus verò Doctor hiſce nominibus prius, & poſterius in diuinis vti renuit, quatenus abſolutam inæqualitatem pręſeferre videntur, in ſenſu autem remouente inæqualitatem, numquàm reijcit, vel negat. Paucis itaque obiectio diluitur. Athanaſiū negare prius, & poſterius, quod tempus includit, quod abſolutam præſefert inæqualitatem

Filius poſterior Patre ſecundum ordinē originis, nec tamē inæqualis.

D. Thomas 1. p. q. 13. art. 3. Scotus 1. d. 12. q. 1. & alibi.

Damaſ. lib. 1. Fidei. c. 9.

Hugo de S. Victore 6. de Trinit. c. 6.

tem

tem,ſed numquàm prius, & poſterius, quod nullam præſefert abſolutam inæqualitatem, quum includat coæternitatem durationis; in hoc autem ſenſu veteres Theologos loquutus eſſe. Et quando Zoroaſter inquit, Patrem in Mente propriũ ignem non incluſiſſe, intelligit de igne ingenito, non genito, & hæc ſufficiant. Ad 4. obiectionem reſpondetur, Patrem auguſtiorem, ſiue maiorem Filio à Platone nuncupari ſecundum quid, non ſimpliciter, non quia Pater ſit maior amplitudine vel poteſtatis, vel gloriæ, vel celſitudinis, ſed quia eſt maior tantum origine, ſiue Paternitate, quum Filius à Patre ſit, Pater à Filio non ſit. Nec tamen ſequitur, Filium eſſe Patri ſimpliciter inæqualem, aut ſimpliciter minorem: Siquidem eſſe maiorem origine, quia coæternitatem durationis intimè ſemper includit, nihil prohibet, quin etiam integram ſemper, inuiolatamq; ſeruet gloriæ, poteſtatis, celſitudinis omnimodam coæternam æqualitatem. Ideo Concilium Sardicenſe ita inquit: Confitemur vnam Patris, Filijq; Diuinitatem, neque quiſquam negat, aliquando Patrem Filio maiorem, non propter aliam eſſentiam, non propter differentiam, ſed quia ipſum nomen Patris eſt maius Filio. In Actibus quoque Concilij Epheſini hæc habetur: Etſi vnigenitum Dei Verbum Homo factum eſt, manſit tamẽ Deus, omnia, præter ſolam Paternitatem, cum Patre æqualia, & communia habens. Ex quibus elicitur, Filium, quãtum ad ſolam Paternitatem, Patri eſſe inæqualem. Damaſcenus item, vt paulò antè diximus, vocat Patrem maiorem Filio, non naturâ, ſed origine. Cum hac tamen originis inæqualitate rectè ſemper conſiſtit abſoluta æqualitas. Inæqualitas enim originis ita cum abſolutâ æqualitate connectitur, vt Filius à Patre quidem fuerit, ſed tamen ſemper fuerit, quia Pater ſemper fuit, & ſine Filio eſſe non potuit. Nullum enim fuit temporis interuallum, quo aut genitor genitum aliquandò præcederet, aut genitus genitori deeſſet. Nimirũ ſolius Diuinitatis eſt inæqualem Filium non habere. Ideò in Actibus Concil. Epheſini hæc perhibentur: Eadem quoque poteſtate, & gloriâ cum illo eſt (Patrem intellige) per omnia denique, & in omnibus eidem æqualis: Figura namque, & Splendor ſubſtantiæ illius eſt. Moneo tamen, hæc nomina maius, & minus in diuinis, quoniam abſolutam inæqualitatem præſeferre videntur, cum timore

Ad 4. obiect.

Pater maior Filio ſecundum quid, non ſimpliciter.

Conc. Sardic. in Ep. ad omnes Epiſcopos.

Conc. Epheſ. tom. 5.

Inæqualitas originis in diuinis includit omnimodam coæternam inæqualitatem.

Conc. Epheſ. tom. 1.

Digitized by Google

timore quodam, & reuerentiâ, & mitigatione ſemper adhibita pronuncianda eſſe.

CAPVT VI.

Platonis verbis, & ſenſibus aduerſari, qui Mentem aſſerant Mundum Archetypum, non ſecundam Trinitatis perſonam.

ADuerſus ea, quæ dicta ſunt, dubitatio ſeſe offert, cur non potiùs affirmandum ſit, Platonem per Mentem intellexiſſe Mundum intellectualē Archetypum, qui a noſtris Theologis vocaretur Mundus in Dei Mente prædefinitus, ac prædeſtinatus, quàm ſecundam Trinitatis perſonam? Vt propoſitæ quæſtionis veritatem facilè conſequamur, diſtinctè ita procedam. Mundus Archetypus, vel intelligitur pro Idearum ſerie, vel pro Intellectu diuino, vel pro Patre in diuinis, vel pro totâ diuinâ Naturâ. Tot enim modis, non autem pluribus, Mundus Archetypus a Platone intelligi potuit.

Quid Mundus Archetypus ex Platonis ſententia.

Sed Mens nec ſeries Idearum eſt, nec diuinus Intellectus, nec Pater in diuinis, nec tota diuina Natura. Quamobrem, ſi Mens ipſa nullū eſt horum, qui Mundi Archetypi dici poſſunt, reliquum eſt, vt dumtaxat ſit Mundus ille Archetypus, qui eſt Filius in diuinis. Probatur primò, Mentem non intelligi à Platone pro Idearū ſerie. Plato diſtinguit Mentē à Deo, vt accipitur pro totâ diuinâ Naturâ, quatenus Deus conſideratur in ſolitariâ ſui ipſius Diuinitate ſine vllâ relatione ad Creaturas, Mens autem intelligitur, Idearū plena, omnia producere. Cæterùm, quum à Deo, vt ſupponit pro totâ diuinâ Naturâ, Mens re ipſâ non diſtinguatur, quia, vt ait Magiſter Sentent.

Mag. Sent. lib. 1. d. 19.

Filius in diuinis, quemadmodum & quælibet trium perſonarum, verus, & plenus Deus eſt, & tota, & plena diuina Eſſentia eſt, & ideò nulla in Trinitate pars eſt; ſupereſt, vt Mēs à Deo, quatenus ſupponit pro totâ diuinâ Naturâ, ſolâ ratione diſtinguatur. Sicut itaque Plato Mentem a Deo ratione diſtinguit, ita Idearum ſeriem à Mente: & ideò non ait, Ideas eſſe Mentem, ſed Ideas eſſe in Mente. Verumtamen ſecundum noſtrum modum concipiendi ſemper diſtinctio inuenitur inter intellectum, & intelligibilia, perinde atque inter materiam, &

Digitized by Google

formam, inter recipiens, & id, quod recipitur, licèt realiter in Deo ſit intelligibilium, & Intellectûs omnimoda ſimplicitas, vnde a Platone Deus ipſum Vnum vocatur. At Idearũ ſeries nil aliud eſt, quàm Dei intelligibilia, Mens autem numquàm dici poteſt ipſa intelligibilia, ſed ipſe Intellectus. Ergo Mens pro Idearum ſerie à Platone haud intelligitur. Confirmatur: quia Plato vocat Mentem, Intellectũ, Regem, Fabrum Mundi, & Solem inuiſibilem. Quemadmodem autem, ſi Pictor, aut quilibet Artifex pulcherrimas Ideas intus contempletur, illæ Ideæ nũquàm ipſa Mens vel Pictoris, vel Artificis vocari poſſunt, ſed in Mente ponuntur, & Mens quid aliud eſt ab Ideis: ita non poteſt dici ſecundum Platonicam rationis diſtinctionem, Mundum Archetypũ, qui nil aliud eſt, quàm ipſæ Ideæ, ipſaq. rerum exemplaria, diuinam eſſe Mentem, & Intellectũ, ſed oportet illas in diuinà Mente conſtituere, & ab Ideis ſegregare. Quemamedum etiam Ideæ in Mente Artificis ipſæ Artifices propriè non dicuntur, ita cõſiderantes Ideas in Deo, ſiue Mundum Archetypum, non poſſumus illas vocare Fabrum Mundi, ſed oportet eſſe Fabrum præter Ideas, Ideas continentem. Conſtat verò, Mentem à Platone in Timæo Fabrum Mundi nuncupari. Præterea: Ideæ, vt Ideæ, neque regunt, neque creant, neque moderãtur, ſed ad earum exemplar quis regit, creat, moderatur. Mens à Platone Rex omnium appellatur: Quid ergo ſegregatum ab Ideis, ipſa intelligitur. Ampliùs: Ideæ, vt Ideæ, radij nuncupandæ eſſent, non Sol inuiſibilis, ſunt enim plures, non vnum, Plato autem vocat Mẽtem Solem inuiſibilem: Non igitur Mens ſecundum Platonicam rationis diſtinctionem eſt Idearum ſeries, ſiue ipſæ Ideæ.

Mens vocatur à Platone Intellectus, Rex, Faber Mũdi, Sol inuiſibilis.

Plato in ep. ad Hermiã.

Non me latet, quid reſpondere poſſent, qui huius argumenti vim eludere conarentur, Idearum videlicet ſeriem à Mente quidem ratione diſcrepare, ſed rationis diſtinctionem nihil afficere, quin etiam re ipſâ ſit vnum, & idem cum Mente: vnũ, & idem, inquam, prout eſt vnum, & idem cum diuino Intellectu. Detur, quod vtique verum eſt, Ideas propter ſummam diuini Intellectus vnitatem cum diuino Intellectu fieri vnum. Tunc ſumma ratiocinationis meæ ita conficitur. Idearum ſeries nõ eſt ipſa Mens, quatenus à Mente ratione diſtinguitur, vt dictum eſt. Vel igitur Idearum ſeries eſt ipſa Mens, quate-

nus

Digitized by Google

nus Idearum ſeries eſt vna, & eadem prorſus cum diuino Intellectu. Vel eſt ipſa Mens, quatenus Idearum ſeries formaliter conſideratur. Si primum: ergo ſequeretur, diuinum Intellectum Verbum eſſe. Mens enim ſecundum Platonem Verbum eſt. Sed intellectus non eſt Verbum, quia Verbum eſt, id, quod procedit ab Intellectu, non ipſe Intellectus. Falſum itaque, Idearum ſeriem Mentem eſſe, prout idẽtificatur cum diuino Intellectu. Si poſtremum: tunc diſtinguendum eſt. Ideæ, vt formaliter conſiderantur, non ſunt formaliter plures, alioquin diuina Natura non foret vna, ſed multiplex; non ſimplex, ſed compoſita. Quare, vt huiuſmodi non ſunt ipſa Mẽs, quia neque ſunt in ipſo Deo. Si autem dicant iſti, Idearum ſeriem conſiderandam eſſe, non abſolutè formaliter, ſed formaliter eminenter, dicant quæſo, numquid negare poſſunt, Ideas formaliter eminenter, id eſt, virtute pluſquàm æquipollente omni formali diſtinctioni, vt latiùs poſtea explicabitur, à diuino Intellectu diſtinctas eſſe? Ideæ quidem, ita conſideratę, ſunt intelligibilia, non Intellectus. Quomodo ergo erunt Mẽs, ſi Mens eſt Intellectus, Ideæ intelligibilia? Probatur ſecundò, Mentem non intelligi à Platone pro diuino Intellectu. Ratio eſt: quia Plato nec ſecundum ordinẽ originis, nec ſecundũ rationẽ Intellectũ à Deo diſtinguit. Nõ ſecundũ ordinẽ originis: quia, quũ Deus re ipſâ ſit purus Intellectus, ſecundũ Platonẽ, re ipſâ non poteſt concipi Deus, quin ſimul diuinus Intellectus concipiatur, & hoc pacto Intellectus à Deo origine non diſtinguitur, quum Deus re ipsâ non ſit prior ſuo Intellectu. Non ſecundum rationẽ: quia Plato ineptè vocat Intellectũ Dei Filiũ Dei, quia ſolâ ratione diſtingueretur, quũ filius intimè ſemper, & profundè realẽ originis ordinẽ includat. Adde: quòd Mens, vt iam indicauimus, in Epinomide à Platone diuiniſſimum Verbum vocatur: Verbum autem non eſt Intellectus, ſed id, quod procedit ab Intellectu. Tertium, quod probandum erat, Mentem ſcilicet in diuinis Patrem non eſſe, non eget probatione apud Platonem, quippe qui ſecundum originis ordinẽ Filium à Patre diſtinguit, vt dictum eſt. Quartum, quod etiam probandum erat, patet ex dictis. Platonem enim Mentem à Deo, vt ſupponit pro totâ diuinâ Naturâ, diſtinxiſſe palàm eſt. Ex quibus patet, Mentem ex Platonis ſen-

2. Lib.

Mens non eſt ipſe Dei Intellectus ex ſentẽtia Platonis.

tentiâ

Digitized by Google

ſentiâ nō eſſe Mūdum Archetypum, qui prædefinitus à Theologis dicitur, quum Mens ita propriè conſiderata, neque ſit ipſa diuina Natura, neque Pater in diuinis, neque diuinus Intellectus, neque ſeries Idearum. Quamobrē, nî Platonicos ſenſus, & verba cōfundamus, vt probabiliorē ſententiā, noſtræq. tùm fidei, tū pietati, quin & diuinę Clemētię magis cōſentaneā amplectamur, aſſerendū eſt, Mentē apud Platonem prædefinitū Mundum ſub propriâ notione vocari non poſſe; quum tamen verum ſit, & Mentem, & Patrem Dominum, & Mundum prędefinitum vnum eſſe Deum, atque vnam penitus naturam. *Mēs ex Platonis ſententia non eſt Mūdus prædefinitus.*

CAPVT VII.

Platonem Ideas, per ſe ſubſiſtentes, vt impingit Ariſtoteles, numquam excogitaſſe, at propriè ſolùm Ideas diuinas, alias verò, non tamen per ſe ſubſiſtentes, ſecundum vmbram, & imaginem.

PEripatetici abſurdam illam opinionem Platoni tribuūt, quæ tanto Philoſopho penitus indigna eſt. Volunt enim, Platonem exiſtimâſſe, quaſdam puriſſimas formas rerum naturalium, abſtractas à corporibus, & ſeorſum à diuinâ Mente ſubſiſtentes, Ideas eſſe, & hanc ſententiam ab Ariſtotele quam diligentiſſimè reiectam. Sed Vir magnus Ideas profectò non excogitauit inter nubes errabundas, ſed in Mente illâ diuinâ æternas, atque immutabiles. Detur quæſo fingendi licentia, quis excogitare poteſt bouem, aut leonem quemdam maximū per ſe conſiſtentem, egregiâ ſanè animâ, & formoſo corpore præditum, quo aut boues omnes, aut leones participent? Nōnullæ tamen dubitationes ſeſe offerunt, quas diſſoluendas proponamus. *Ideæ, per ſe ſubſiſtentes, & inter nubes errabundæ.*

Plato vocat Ideas formas, puras, & ſeparatas: ſeparatas itaque à diuinâ Mente. *1. Obiect.*

Nonnulli Platonici aſſerunt, Platonem in concauo Lunæ Ideas poſuiſſe: Non igitur in diuinâ Mente. *2. Obiect.*

Ex ſententiâ Platonis in Timæo Ideæ opinione percipiuntur: Non igitur in diuinâ Mente conſiſtunt, quippe q̄ niſi perfectiſſimâ ſciētiâ percipi poſsūt iuxta vulgatū illud Apoſtoli: Nūc videmus per ſpeculum in Aenigmate, tūc aūt facie ad faciē. *3. Obiect.*

Plato in Timæo. Sciendum eſt, ex Platonis ſententiâ Ideas in diuinâ Mente conſiſtere. Nam Plato inquit, Fabrum Mundi æternum exemplar imitatum eſſe in hæc verba: Cum verò & Mundus omnium genitorũ pulcherrimus ſit, & eius Author cauſarum omnium optimus, dubium non eſt, quin ſempiternum ſit ſecutus exemplar. Faber verò Mundi ſecundum Platonem eſt ipſa diuina Mens, quæ ſanè Deus à Platone vocatur. Præterea: *In eodem Timæo.* Mundum ſenſibilem affirmat eſſe vnum, quia pulcherrimo, & vndique abſoluto Mundo ſimillimum eſſe oportet, ſic inquiens: Volẽs itaque Deus omnium, quæ intelligi poſſunt, pulcherrimo, & vndique abſoluto Mundum hunc ſimillimum reddere. At procul dubio exemplar Mundi huius eſt Mũdus Idealis, qui in diuinâ Mente refulget. Ampliùs: dicit Plato, Mundum Idealem, Mentem etiam, ac Deum Creatorem appellatum, omnia, quæ ſunt in hoc Mundo, in ſe ipſo comprehendere. Verba hæc ſunt: Si quidem viuentia omnia, quæ ſolâ mente percipiuntur, in ſe ipſo complectitur, quemadmodum Mũdus hic nos, & cætera, quæ cernuntur animalia, comprehendit. Et in eodem etiam libro inquit: Quot, & quales Mens Ideas in ipſo viuente (intellige Deum ipſum) inſpicit, tot, & tales in hoc Mundo ſpecies cogitauit effingere. At non multa opus eſt percurrere, quum res in aperto ſit. Rectè quidem Ficinus: Hoc ſenſit Plato, vt audis, Hoc ſenſerunt anteceſſores, ſucceſſoresq́. Platonis. Crede Marſilio, qui ſenſit aliter, à veritate diſſentit.

Ad primam obiectionẽ facilis reſponſio. Plato vocat Ideas ſeparatas, non à diuinâ Mente, ſed à corporibus, & materiâ.

Ad ſecundã reſpondeo, me profectò non meminiſſe locorũ, in quibus Plato Mentem ipſam Lunam apertè nuncupauerit. *Ex 8. de Rep.* Nam etiam res eſt, quæ, quum legitur, non ſit digna multâ attentione. Locum tamen recolo, vbi dicit Plato, Animam à cauerna ad Lunã, à Lunâ ad Solem eleuari, per cauernam indicans Mundum, per Lunam diuinam Mentem, Idearum ſerie emicantem, per Solem verò Deum ipſum, quatenus in ſolitario Deitatis receſſu, veluti quãdã Maieſtatis caligine circum- *Mẽs quare Luna dicitur à Platone.* fuſus, deliteſcit. Sed inquies, cur Mens Luna dicenda eſt? Equidem, vt Platonis doctrinam in plurimis rebus intelligere, ac tueri diſcamus, animaduertere oportet, vetuſtiſſimos quoſque Philo-

Philoſophos,ac Theologos vel rerū maximarum arcana nulla tenus ſcripſiſſe,vel Metaphoris,Aenigmatibus,alijsq́. ſenſuū, & verborū inuolucris occultâſſe, ne imperitiſſimis quibusque diuiniſſima quaque reuelarentur. Propterea vera illa Legis interpretatio, Moſi diuinitus tradita, in quâ, vt ait Eſdra,eſt vena intellectus, & ſapientiæ fons,& flumen ſcientiæ, nuncupatur,Hebraicè קַבָּלָה, Cabala,id eſt reuelatio,ſiue receptio,quia nimirū Deus Moſi,Moſes Ieſu Naue,hic ſuccedentibus Sacerdotum primoribus,quaſi hæreditario iure receptam commendauit, vt ſapientibus tantùm ſecretiora myſteria reuelarentur. *Veteres Theologi doctrinā metaphoris,occultarunt.*

Aegyptij ante delubra Sphynges inſculpsêre, admonentes videlicet, res diuinas à prophanâ multitudine per Aenigmatum nodos cuſtodiendas eſſe. *Quid Aegypt'ij ſphynges.* Pythagoras nihil ſcripſit, niſi commentariolos quoſdam,quos Damæ filiæ moriens commendauit,quemadmodum patet ex Lyſidis epiſtolâ ad Hipparchum. Poëtica illa Philoſophorum ſecta,in quâ Muſæus,Linus, Orpheus,Heſiodus,Homerus,fabellarum velis plurima, vt potè ſacra,occultârunt: hoc enim id æui auguſtius cēlebant, & Maieſtati rerum aptius. Ariſtoteles Metaphyſicæ libros editos, & non editos dicebat,quippe qui non, vt cæteri, Metaphoris, ſed perobſcuro dicendi genere loco Aenigmatum vſus eſt. Magnus ille Dionyſius Areopagita multa de diuinis Naturis, de Angelicâ,& Eccleſiaſticâ Hierarchiâ Timotheo conſcribens, iuſſit,ne librum cæteris legendum præberet,vel ſolùm paucis, illisq́. ipſomet iudice,peritiſſimis. Quin ſecretiora myſteria à ſanctiſſimis Religionis noſtrę Auctoribus ἐκ νοῦ εἰς νοῦν διαμέσου λόγου i.ex animo in animum ſine literis,medio intercedēte verbo,ait,fuiſſe transfuſa. Hinc dicitur:Nolite ſanctum dare canibus: & alibi:Sapientiā loquimur inter perfectos.atque aliás: Multa habeo vobis dicere,ſed nō poteſtis portare modò. *Matt. 5. 1. ad Cor. Io. 6.* Hanc itaque ſententiam, ab antiquiſſimis vſque deductam temporibus,Plato etiam amplexus eſt. Quapropter Dioni de ſupremis ſubſtantijs nonnulla conſcribens: Per Aenigmata, inquit, dicendum eſt, ne ſi epiſtola fortè ad aliorum peruenerit manus,quæ tibi ſcribimus,ab alijs intelligantur. Alibi ſic ait: Caue tamè,ne excidant hęc vmquam in aures hominum diſciplinæ, eruditionisq́. expertium. *In epiſt. 2. ad Dionyſ.* Quum itaque Plato in Mente diui-

ná Ideas eſſe affirmauerit, quemadmodum ſatis, ſuperq. probauimus, aliás verò in concauo Lunæ Ideas collocauerit, ne ſibimet cótrarium eſſe fatuè fateamur, priori ſanè dicto poſterius exponendum eſt, vero ſcilicet, ac perſpicuo, ſubobſcurum, & ænigmaticum. Idem eſt profectò in concauo Lunæ, quod in Mente diuiná. Etenim Mens diuina ex ſententiá Platonis eſt diuiniſſimum Verbum, Deus de Deo, Lumen de Lumine, conſubſtantialis Patri, atque ab ipſo Patre per emanationem Intellectus procedens: quare, & Verbum, & Mens, & Sapientia, & Filius Dei nũcupatur. Luna igitur perfectiſſimo mõ accipiẽda eſt, ita vt remouentes omnem ab eâ imperfectionem, deinde per eam ſecundum eminentiſſimam analogiam Filium in diuinis adumbremus. Hoc pacto Lunam diuiniſſimam omnibus ex partibus à vero Sole Iuſtitiæ illuminatam, quatenus ab eodem Sole in ſplendoribus Sanctorum per emanationem intellectus genita eſt, luce prorſus infinitá, omnẽq. Intellectũ exuberante, per omnem æternitatem abſque mutatione refulgentẽ, de quá Luná etiam dicitur: ſicut Luna, perfecta in æternum, ipſam diuinam Mentem iure, ac meritò nuncupamus. Amplius, diuina Mens eſt Luna: quia, ſicut Luna mutuat lumen à Sole, & ideò Fœmina dicitur, quòd ſcilicet à Pythagoricis natura perfecta per maſculum ſignificatur, imperfecta per fœminam, apud Chaldæos verò nomina maſculina ſignificant in diuinis actum efficientẽ, fœminina vero potentiam recipiendi; ita diuina Mens (intelligo ſemper omnibus remotis imperfectionibus) à Summo Patre accipit lumen, quatenus emanat ab eo per viam Intellectus tanquám lumen à Sole, vnde ſplẽdor ſubſtantiæ eius à D. Paulo vocatur, à Platone autem ipſius Boni progenies. Item, quemadmodum Sol à Platonicis, & D. Dionyſio imago Dei cenſetur, ita Luna imago Solis exiſtimanda eſt, quòd noctibus præſit, perinde atque alter Sol noctis arbiter, & moderator; quod & Poëtæ indicárunt, Lunam ſororem Solis effingentes. Quemadmodum autem Luna eſt imago Solis, ita Mens diuina diuini Parentis, iuxta illud: Illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui eſt imago Dei. Sicut etiam Luna ab Hipparcho Solis ſpeculũ appellatur, quoniam ſibi lumen à Sole mutuãs, ad noſtra deflectit, ſic diuina Mens, mutuatis quodammodo à vero ſupercœleſti Apolline, Sole, inquam, Iuſti-

Pſal. 88.

Pythagorici per maſculũ naturã perfectam, imperfectã per fœminã deſignarunt.

1. ad Hebr.
In Phil. & 7. de Rep.

D. Paulus ad Cor. 4.

Iuſtitiæ, Deo Patre, ſacratiſſimis radiorum aculeis, terream noſtram, ac plenam vitiorum monſtris miſerandam conditionē, prout alterum Pythonem, transfigit, purgat, diſſoluit, attollit. Luna itaque apud Platonem diuinam Mentem ſignificat. Quoniam autem cōcauum eſt profunditas corporis, per concauum Lunæ nil aliud ſignificatur, quàm interminabilis intelligentiæ profunditas, in diuinâ Mente conſiſtens: adeò vt Plato inquiens, Ideas eſſe in concauo Lunę, ſecundum Metaphorā dixerit, eas eſſe in abditâ, infinitâ, prorſus intellectuali diuinę Mētis profunditate. Atque hanc legitimam huius dicti interpretationem arbitror, eáq; longè probabiliorem, quam nonnulli Platonici aſſerunt: quòd ſcilicet concauum ſignificet cerebrum, cerebrum autem Intellectū, quoniam, vt ait Ariſt. Intelligere aut eſt Phantaſia, aut non ſine Phantaſiâ, cerebrum in quam, & Intellectum diuinum. Quid autem ſibi velit nomen Lunæ, nec verbum quidem. *Ariſt. 3. de Anima.*

Ad tertiam obiectionem reſpōdetur, Platonem in Timæo, quum loquutus eſt de Ideis veris, & proprijs, quæ in diuinâ Mente conſiſtunt, numquàm eas percipi opinione affirmâſſe; Immò inquit, Ideas percipi certiſſimâ ſcientiâ hiſce verbis: Hic igitur (ex præcedentibus ſupple Hic Mundus) ad id eſt effectus, vt ratione, & ſapientiâ ſolâ comprehendi poſſit, & immutabilis permaneat. Per verba illa, Ad id eſt effectus, intelligi Ideas, ad quarum ſimilitudinem Mundus procreatus eſt. Quin & alibi clariùs: Natura de Ideis habetur ſcientiâ, & mēte, animoq́. comprehenditur, Ideatus verò ſenſu, & ſolâ opinione cognoſcitur. Adnotandum tamen Ideas propriè ſumptas, nullas alias in Platonis dogmatibus reperiri, quàm Ideas in Mente diuinâ. Dantur tamen quædam aliæ Ideæ, non propriè Ideæ, ſed vmbrâ tantùm, & ſimilitudine. Verba Platonis in medium afferamus. *Idea percipiuntur ſciētia, non opinione.*

Fateri oportet eſſe ſpeciem, quę ſemper eadem ſit ſine ortu, atque interitu, quæ neque in ſe accipiat quidquam aliud aliunde, neque ipſa procedat ad aliud quidquam, ſenſuq. nullo corporis percipiatur, atque hoc eſt, quod ad ſolam intelligentiam pertinet, eiuſq. intentionis eſt proprium. *Plato in Timæo.*

Hic prima Idearum ſpecies declaratur, cuius ſingula verba hoc pacto interpretamur.

Speci-

Digitized by Google

Speciem, quæ ſemper eadem ſit ſine ortu, atque interitu] æternitas Ideæ, & immutabilitas explicatur. Nam, quum ſemper eadem ſit, & abſque interitu, oportet eam eſſe tùm immutabilem, tùm incorruptibilem.

Ideæ ſunt æternæ.

Quæ neque in ſe accipiat quidquam aliud aliunde) Perfectio Idearum oſtenditur. Nam Ideæ, quibus homines vtuntur, accipiunt quidquam aliud aliunde, id eſt, ab externis obiectis, & ſenſibilibus per nouas ſpecies, nouum decus, nouam maioremq. perfectionem. Ideæ autem in Deo nihil perfectionis ab aduentitijs rebus, ſiue externis ſpeciebus acquirunt. Deus enim per Ideam, extenſè exiſtentē, vel ab alio acceptā, non intelligit, ſed per Ideā, quę nedum in ipſo eſt, ſed eadem eſt cū ipſo, adeò vt Ideę, & eſſentia Dei ſunt vnū, & idē. Dei aūt eſſentiā oīa perfectiſſimè cōtinentur. Siquidē, non ſolū, vt ait Anſelmus, Deus id eſt, quo nihil maius excogitari poteſt, ſed illud eſt, quod infinitè maius eſt omni eo, quod excogitari poteſt, vt verè cecinerit Dauid Propheta: Tibi ſilētium laus. Nam in Pſ. vbi legitur: Te decet Hymnus Deus tuus in Sion, pro verbo Decet, eſt Verbū Hebraicū דמיה dimija, id eſt, ſilentium, vt vertit D. Hieronymus. Quamobrem neceſſe eſt, Ideas diuinas infinitè perfectiſſimas eſſe: & ideò nō egēt, vt à nouis externis ſpeciebus perfectionem acquirant.

Ideæ nō acquirūt perfectionē ab externis ſpeciebus.

Pſal. 64.

Neque ipſa procedat ad aliud quidquam) Ideam ſubſtantiam eſſe affirmatur. Etenim idem eſt ac ſi diceretur: Idea diuina non exit extra ſeipſam, nec procedit ad aliud præter ſe, ita vt ſolùm ad externa Ideata referatur, ipſa verò non ſubſiſtat, ſed profectò eſt relatio ſimul, & quid abſolutum. Proptereà hæc verba non ſunt abſolutè intelligenda, ſed cum limitatione. Falſum enim eſt, Ideam ad aliud non procedere, quoniam ad aliud procedit, id eſt, refertur: & verum eſt, non procedere tamquam ſolam relationem, ſed & ſubſtātiam eſſe, quoniam cum diuinā eſſentiā indiuiduā vnitate copulatur. Hinc quædam patet inter humanam, & diuinam Ideam differentia: illa enim eſt accidens intellectus: hæc ipſa diuina Natura. Poſſumus quoque aliam huius loci faciliorem interpretationem afferre: quod ſcilicet Idea diuina non procedit ad aliud quidquam, id eſt, non eſt cauſa cognitionis aliæ rei

Idea relatio ſimul, & ſubſtantia.

præter

Digitized by Google

præter Deum, vt in externo obiecto, ſiue ipſi Deo rem non exprimit, vt externum obiectum, neque exprimens eſt propria ſpecies externi obiecti, ſed alia extra Deum cognoſcere facit in Deo, quatenus in diuinâ eſſentiâ repræſentantur. Ita non procedit ad aliud extra ſe, vt ita dicam, terminatiuè, ſed obiectiuè in propriâ diuinâ Naturâ: & hoc eſt quod ait Plato: Neque ipſa procedit ad aliud quidquam: Cætera verba ſatis conſpicua. *Idea exprimit per ipſum Deum alia extra Deum.*

Quum hæc dixiſſet Plato, ſtatim ita loquitur: Sed eſt aliquid poſt hoc, quod cum ipſo non ratione, ſed nomine conuenit, eiuſq; ſimilitudinem gerit, genitum, ſenſibus manifeſtum, quod fertur, & ſuſtentatur ab alio ſemper, & in aliquo loco gignitur, rurſuſq; inde recedit, opinione per ſenſus comprehendendum.

Per hæc verba à verbo, Sed, vſque ad verbum, Gerit, Plato manifeſtè inquit, vnam tantùm propriè Ideam eſſe, quam ſcilicet in Mente diuinâ collocauit, poſt hanc verò aliam quoque ſpeciem, & Ideam inueniri, ſed æquiuocam, ideo inquit, Non ratione, ſed nomine conuenit. Hanc porrò ſecundam ſpeciem dicere nequeunt Peripatetici, illas eſſe formas, per ſe ſubſiſtentes, æternas, & immutabiles. Nam huiuſmodi formæ numquàm ſenſibus videri poſſent, & Plato inquit Genitum, ſenſibus manifeſtum. Aeternæ non eſſent, quia Plato inquit & genitas eſſe, & corporeas, quum ſenſibus manifeſtæ ſint, quidquid autem corporeum generatur, in tempore generatur. Per ſe ſubſiſtentes non eſſent, quoniam Plato ait: Quod fertur, & ſuſtentatur ab alio ſemper. Non æternæ, non immutabiles eſſent, quoniam Plato inquit: In aliquo loco gignitur, rurſuſq; inde recedit, quare ſecundum Platonem ſaltem loco mutarentur.

Germanam itaque huius loci interpretationem afferre poſſumus, vt videlicet hoc Idearum genus nil aliud eſſe dicamus, quàm ſenſibiles formas, quæ generantur, & corrumpuntur. Ita rectè dicemus, formas, quæ generantur, & corrumpuntur, nomine tantùm cum Ideis diuinis conuenire: quippe diuinæ Ideæ numquàm intereunt: formæ ſenſibiles inſtar aquarum labuntur, & occidunt. Corruptibile autem, & incorruptibile genere differunt, vt ait Ariſtoteles. *Senſibiles formæ ſunt æquiuocæ Ideæ, ex Platonis ſententia.* *Ariſt. 10. Met. t. 26*

Geni-

Genitum ſenſibus manifeſtum] hoc adamuſſim quadrat in iſtas Ideas.

Quod fertur, & ſuſtentatur ab alio ſemper] ſenſibiles formæ, corruptioni obnoxiæ ſtatuuntur. Omnis enim forma, quæ ab alio ſuſtentatur, corruptibilis eſt. Si accidentalis: quia ſubiecto, non ſibimet innixa permanet, corrupto illo, corrumpitur & ipſa. Si ſubſtantialis: quia materia priuationi obnoxiâ, tamquàm ſubiecto, fulcitur, non autem ſe ipsâ, ideò propter tranſmutationem materiæ, aliam formam ſubeuntis, occidit, & corrumpitur. In hanc ſententiam hoc loquutionis genere vſus eſt Auicebrō, q libri de cauſis Author perhibetur, dum inquit: Omnis ſubſtantia deſtructibilis non ſempiterna aut eſt compoſita, aut delata ſuper rem: id eſt, ſubiecto ſuſtentatur. Quum enim quidpiam ſuſtinet, ferre intelligitur: nam & quod fertur ſuſtinetur.

Quidquid ab alio ſuſtinetur corruptibile.

Auicebron prop. 27.

Cætera quàm aptè iſtis Ideis conueniant, meridianâ luce clariùs.

Conſtitutis à Platone duobus hiſce Idearum generibus, tertium aggreditur in hæc verba: Tertium genus locus eſt, qui interit quidem numquàm, ſed omnibus, quæ gignuntur, ſedem exhibet, hic ſine tangentis ſenſu tangitur, adulterinâ quâdam ratione vix opinabilis.

Hiſce verbis affirmat, tertium Idearum genus eſſe Materiam, quam locum, & ſedem appellat, ſupple formarum, & adulterinâ ratione vix opinabilem; quod è Platonis Magiſtri fontibus hauſit Ariſtoteles, quum protulit vulgatiſſimum illud, Materiam cognoſci per analogiam. Subiecta autem natura ſcibilis eſt ſecūdū analogiam. In hoc ſenſu Plato illam vocauit Binarium, Nutricem formarum, Matrem Mundi, Siluam, Neceſſitatem, & huiuſmodi. Inſuper ait Plato, Materiam ſine tangentis ſenſu tangi: quia, ſicut analogiâ, & affirmatione cognoſcitur, ſic & negatione. Quum enim illam in ſeipsâ ex ſe ipsâ verè neſciamus, negatione aliorum, aliorumq; ſimul analogiâ acriter venamur. Idcircò dicitur Non eſt angelus, non Deus, non homo, nulla forma eſt. Cognitio autem per negationem eſt cognitio ſine cognoſcentis cognitione, ac ſi tactus eſſet ſine tangentis ſenſu, aut viſus ſine videntis viſione. Quippe intellectus humanus ſeſe habet

Materia tertium genus Ideарū iuxta Platonem.

Ariſt. lib. 1. Phyſ. t. 69.

Intellectus

habet ad materiam, vt oculus ad tenebras, ac ferè vt tactus ad laruas, & ſpectra. Conſiderandum tamen, Ideas perfectius eſſe in diuinâ Mente nanciſci, quàm in Intelligentijs: quoniam in illâ ſecundum eſſe formale conſiſtunt, in iſtis verò ſecundum eſſe participatum, quatenus videlicet à diuinâ Mente in Angelorum Mentes effluunt, non ſecus ac radij à Sole, aut riuuli à fonte, aut lineę à centro. Etenim perfectius eſſe habet, quod habet eſſe formale, quam quod habet eſſe participatum; quemadmodum calor perfectius eſſe habet in igne, quam in ferro ignito, aut aquâ calefactâ. Quoniam verò eſſe Idearũ eſt minus pfectè Animis humanis participatũ, quàm Intelligentijs, idcircò Ideę ſunt imperfectiores in homine, quàm in Intelligentijs. Quoniam adhuc eſſe Idearum minus perfectè Naturæ participatum eſt, quæ omnium rerum ſeminales continet rationes, ideò ſecundum vmbram, & imaginem in ipſâ inuenitur. Et quoniam Ideæ ſiue formæ, quæ in materiâ recipiuntur, à materiâ labem contrahunt, idcirco imperfectius adhuc eſſe nanciſcuntur. Quoniam denique materia eſt ſinus informis, ac pura potentia, ac propterea omnium Idearum egens, & vacua, idcircò Idea imperfectiſſimè vocatur. Quatenus tamen eſt locus Idearum, & nata eſt appetere formas, ſic per accidens Idea dicitur, quatenus videlicet, vt inquit Ariſt. deſiderat pro viribus primo principio aſſimilari, & hoc eſt appetere Idearum receptionem. Vnde, ſicut ex locatis nomen loco tribuimus, vt ex hoſpitibus hoſpitio; ita ex Ideis, ſiue formis, Ideæ nomen ſecũdum materiæ naturam materiæ accommodamus. Verùm hæc de Materiâ ſufficiãt: alibi fuſiùs.

ad materiã, vt oculus ad tenebras, vt tactus ad laruas.

Perfectius eſſe formale, quàm participatum.

Ariſt. lib. 1. Phyſ. t. 81.

Senarius itaque eſt ordo formalis Idearum, ab vno ſuperiore procedens, ab ipſo vno, diuináq; Mente ad Intelligentias, ab Intelligentijs ad animas, ab animis ad ſenſibiles formas, à formis ad Naturæ ſemina, à ſeminibus ad materiam. Aque in hoc ſexto annulo catenæ aureæ, de quâ cecinit Homerus, totus ſiſtit Idearum progreſſus. Et ideò iubet Orpheus, vt in ſextâ generatione ornatum cantilenæ finiamus.

Senarius ordo Idearum.

CAPVT IX.

Rationes Ariſtotelis aduerſus Platonicas Ideas ſoluuntur.

Reliquum eſt, vt rationes Ariſtotelis aduerſus Platonem, accuratiſſimè ab eo excogitatas, in medium afferamus, eo tamen conſilio, vt præſtantiores tantùm perpendamus, easq; potiſſimùm, quæ ipſam poſitionem Idearum, ne dum ponendi modum, quem tribuunt Platoni, labefactare videtur.

Ex 7. Met. t. 20. & 21. Prima obiectio. In Entibus per ſe quidditas nõ diſtinguitur ab eâ re, cuius eſt quidditas: vnde quidditas Equi ab Equo non ſeparatur. At Plato dicit, quidditatẽ ſpecificã, ſiue Ideã, eſſe ſubſtantiã, re ipsâ diſtinctam ab Ideatis, quorũ eſt quidditas. Fatuè igitur ponit Ideas. Nam ſi affirmat, quidditatẽ eſſe rem aliam ab eâ, cuius eſt quidditas: ergo Platonicæ Ideæ dabitur Idea, & ſic erit progreſſus in infinitum. Conſequens probatur: quoniam Platonicæ Ideæ haberent ſuam quidditatem: ergo & haberent alias ipſarum quidditates, & Ideas, & illæ aliæ alias etiam Ideas, & quidditates. Nam ſecundum Platonem omnis quidditas ab eâ re diſtinguitur, cuius eſt quiditas.

Quidditas differt à re, cuius eſt quidditas. Reſpondetur, quidditatem Idealem duplicem eſſe, aliam formalem, eiuſdem penitus rationis cum Ideatis; aliam exemplarem, non eiuſdem penitus rationis cum Ideatis, verùm diſtinctam, prout corruptibile ab incorruptibili. Si de primâ loquutus eſſet Plato, optimum argumentum: Sed quia ſermonem habuit de ſecundâ, nil probat.

Ex lib. 1. Eth. cap. 6. Secunda obiectio. Iam neceſſe fuit, Platonem fateri, Ideas ab Ideatis differre ſecundum eſſe, quia illæ ſunt æternæ, & immutabiles, hæc verò tempori, ac morti obnoxia. Sed profectò errat: Nam diuerſitas quidditatis rerum non accipitur ex diuerſitate durationis, ſed ex diuerſitate intrinſecę naturæ. Etenim homo vnius diei, & homo centum annorum, non differunt ſecundum eſſe ob paruam illam, vel longam annorum ſeriem. Ergo diuerſitas quidditatis, & naturæ inter Ideas, & Ideata non eſt accipienda ex diuerſitate durationis, quòd ſcilicet illæ ſint æternæ, hæc tempore circumſcribantur.

Reſpondetur, Ideas, & Ideata ex hoc, quòd differunt ob duratio-

rationem, quoniam Ideæ immortales, Ideata mortalia, neceſſariò fieri, vt differant ex intrinſecâ naturâ, vt videlicet Ideatum ex materiâ, & formâ componatur, Idea vero ſit puriſſimus actus, nullâ materiæ caligine circumfuſus. Proptereà differentia durationis optima eſt, quippe quæ includit intrinſecam differentiam.

Diuerſitas durationis infert diuerſitatem naturæ.

Tertia obiectio. In reſponſione ad primum argumentum dictum eſt, Ideam, & Ideatum eiuſdem rationis non eſſe: At, quum Idea, & Ideatum aliquo communi, quod cõuenit vtriſque, participent: ergo illud commune ſecundum nomen tantùm vtriſque competere poteſt. Si autem duo ſunt, quæ vno communi participent, ſed alterum ſecundum nomen tantùm, alterum ſecundum formalem rationem, illud ſanè, quod ſecũdum nomen tantùm participat, eſt vmbra, & tenuis quædam imago illius, quod ſecundum formalem rationem participat. Homo, exempli gratiâ, tùm de Paulo, qui verè homo eſt, tùm de homine ligneo prędicatur, de illo ſecundum propriam formalem rationem, de hoc tantùm ſecundum nomen; & idcircò homo ligneus eſt homo duntaxat æquiuocè. Homo igitur Idealis non erit verus homo, nec per ſe homo, ſed vmbra quędam hominis, quod eſt contra Platonem, qui Ideam hominis per ſe hominem vocat. Alexander verò ſic Ariſtotelis rationẽ confirmat. Si verò illud commune non erit niſi nomen, adeò vt non ſit communicatio naturæ, nullam porrò cauſam afferemus, cur Deus per Ideam Equi Equum producat, non autem hominem, quod ſanè perabſurdum. Debet igitur illud commune non modò eſſe idem nomen, ſed eadem quidditas, & natura, & tunc incidimus in progreſſum illum infinitum Idearum, de quo iam dictum eſt.

Ex text. 30. Lib. 1. Met.

Homo Idealis eſt verus & per ſe Homo, ex Platonis ſẽtentia.

Reſpondetur, duplicem eſſe identitatem quidditatis, & naturæ, alteram ſecundum eſſe, alteram ſecundum repræſentationem. Exemplum eſt hominis picti ſimulachrum, quod quãtum ad identitatem quidditatis ſecundum eſſe, à vero homine diſtinguitur, & homo æquiuocè nuncupatur: attamen quantũ ad identitatem repræſentationis idem eſt verus homo, & homo pictus. Proinde Idea, & Ideatum habent eamdem rationem, & naturam, quantum ad repræſentationem, & hac, vt par eſt, cõceſſâ, non ſequitur abſurdus ille proceſſus Idearum.

1. Obiectionĩ Reſpõdetur. Duplex identitas quidditatis, ſecundum eſſe, & ſecundũ repræſentationem.

Digitized by Google

Sed quantũ ad eſſe non eſt eadem natura Ideæ, & Ideati: quoniam idea eſt æterna, immutabilis, & eadem prorſus cũ Deo; Ideatum verò cinis, fœtor, & vermis, qui ſuper terram, ſicut aqua, dilabitur. Ad hoc autem, quòd Deus per Ideam Equi Equum producat, non autem Hominem, ſufficit idẽtitas naturæ ſecundum repræſentationem, quia ſcilicet natura diuina imitabilis à natura humana eo pacto, quo non ab Equo, ita obijcitur diuino Intellectui, vt ille velit producere Hominem, non Equum.

Ex text. 32. lib. 1. Met. Quarta obiectio. Sic inquit Ariſtoteles. Dicere autem exemplaria eſſe, reſq; cęteras ipſorum eſſe participes, ſuperuacaneũ eſt, & translationibus poëticis ſimile. Hoc verò ita probat. Sine Ideis fieri poſſunt Ideata: ſuperuacaneæ igitur ſunt Ideæ. Probatur antecedens: quoniam plurima, dum generant, Ideas non perpẽdunt, & ea, quæ nihil intelligunt, ſimilia producunt.

Reſpondetur, quę nõ intelligunt, vel nõ conſiderant, dirigi à ſupremo illo Intelligente, eminentiſſimo Idearum Fonte, quippe qui oĩa perſcrutatus, totus lux, totus oculus, totus Idea Idearum. Neque id alienum à Lycæo, cuius protritum illud: Opus naturæ eſt opus Intelligentiæ.

Ex t. 37. lib. 1. Met. Quinta obiectio. Ex plurimis numeris numerus vnus conſurgit. Ideæ ſunt numeri, ſecundum Platonem; ergo ex multis Ideis fit vna Idea, quod eſt abſurdum.

Idea Numeri ſuperexcedentes. Reſpondetur, argumentum valere de numero, qui in genere quantitatis collocatur, non de numero ſuperexcedente, nẽpe de Ideis. Ideæ enim ſunt numeri, qui conuertuntur cum primo Ente, quum ſint ipſa diuina Natura; & ideò, ſi in aliquo genere reperiuntur, in Subſtantiæ genere celebrandæ ſunt.

Hæc de præſente quæſtione ſufficiant, aliæ argumentationes Ariſtotelis, ſi, quæ dicta ſunt, rectè perpendantur, facilè ſoluuntur.

CAPVT IX.

Ariſtotelem Ideas in Mente diuina, quemadmodum & Platonem, & noſtros Theologos, collocaſſe.

OMnes penè Philoſophi Latini, qui Ariſtotelis partes tuentur, ſupponunt Ariſtotelem conſtituiſſe Ideas in Mẽ-

te

te diuiná, ſolùm autem aduerſus fatuam Idearum per ſe ſubſiſtentium opinionem, claſſicum cecinisse. Séd reuerá plurimæ dubitationes circa eius ſententiam emergunt. Principia illius, vehementiſſimè Ideis repugnãtia, & iam allatæ rationes ipſas Ideas in diuina Mente deſtruere videntur. Verùm, quamuis Plato, & Ariſtoteles, Philoſophorum maximi, verbis digladiẽtur, ſententijs tamen conueniunt. Equidem Platonem in diuiná Mente Ideas poſuiſſe, conſtat ex dictis. Nunc de Ariſtotele idem probabo. Sit igitur primum argumentum. Aut Ariſtoteles Ideas in diuiná Mente negauit, Platonem earum aſſertorem confutans; aut affirmauit. Si negauit: rectè conficitur, Ariſtotelem fatuum argumentum protuliſſe: quod ſic oſtendo. Ariſtoteles contra Platonem ita argumentatur. Plato inquit, Ideas conferre ad motum tàm æternorum corporum, id eſt, Cœlorum, quàm rerum, quę fiunt, & corrumpuntur. Sed hoc eſt falſum, quoniam Ideæ ſecundum Platonem ſunt æternæ, & immutabiles. Ergo potiùs ſunt cauſa quietis, quàm motús. Veruntamen verò quonam pacto Ariſtoteles probauit, primum mouens, dum mouet omnia, non moueri? Nonne ſic inquit? In mouentibus, & motis non datur proceſſus in infinitum. Ergo datur vnum mouens penitus immobile. Si ergo in Ariſtotelis doctriná non valet hoc argumẽtum: Deus eſt æternus, & immobilis: ergo non eſt cauſa motûs, cur vult hoc argumentum valere: Idea eſt æterna, & immobilis: ergo non eſt cauſa motûs, ſed quietis? Fatuum itaque Ariſtotelis argumentum, ſi abſolutè arguitur contra Platonicas Ideas, in diuiná Mente conſtitutas, hoc autem nullus concedit Paripateticus. Dicendum igitur, Ariſtotelem Ideas affirmâſſe in Mente diuiná poſitas, ſolùm autem negâſſe, quod nonnulli Platonici aſſirmabant, Ideas eſſe quidditates rerum, eiuſdem penitus ſecundum eſſe rationis, & naturæ cum ſuis Ideatis. Hoc pacto argumentum optimè ſeſe habet, atque ita conficitur. Quidditas immobilis eiuſdem penitus ſecũdum eſſe rationis, & naturæ cum ſuis Ideatis, in illis motum producere non poteſt, ſed potiùs quietem. Ideæ ſunt huiuſmodi ſecundum iſtos Platonicos, qui ſententiam iſtam Platoni tribuunt. Ergo erunt cauſa motûs, nón quietis. Præterea conſiderandum eſt, ab Ariſtotele Naturam appellari cauſam primam ordinationis in vniuerſo

Ariſt. t.31. lib.1. Met.

8. Phyſic. t. 15. & Cœl. text.24.

uerſo

Digitized by Google

uerſo. Verùm per naturam, quæ omnia ordinat, vel intelli-
6.Phyſic. git materiam, vel formam, vt aliquando intellexiſſe videtur.
Nō materiam: quia, prout materia eſt, indeterminata eſt: quare nec poteſt eſſe cauſa ordinis in Vniuerſo. Eatenus itaque ordinis cauſa, quatenus formis induta. Ergo multò magis forma, quàm materia ordinem producit: Nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis eſt tale. Ergo, & multo magis infinities Deus ipſe, qui eſt actuum actus, & forma formarum, omnibus eſſe tribuens, his quidem clariùs, illis autem ob-
Ariſt. 12. Met. te. 52. ſcuriùs. Sed quomodo eſt cauſa ordinis? Ipſemet Ariſtoteles hoc docet. Duplicem ſtatuit ordinem in exercitu, alterum exercitùs, partiū videlicet illius tùm inter ſe, tùm reſpectu to-
Duplex ordo in exercitu, Ducis, et exercitus, duplex in Mūdo, Dei & Mundi. tius exercitùs, alterū verò Ducis, nēpe in ipſo Duce conſiſtētē, quo Dux, ſuimet moderator, moderatur & exercitum. Hinc duplicem in Mundo conſtituit ordinem, alterum Vniuerſi, alterum Dei, illum ordini exercitûs, hūc ordini Ducis exercitûs comparat. Ergo ſecundum Ariſtotelem eſt aliquis ordo in ipſo Deo. Quod ſi eſt aliquis ordo, quis alius ordo erit, niſi ordo Idearum? Si quidem in eminentiſſimâ rerum continentiâ ſine diſtinctis rationibus, quæ à nonnullis Peripateticis ex Ariſtotelis ſententiâ Deo tribuitur; nullus ordo eſſe poteſt, quum nullæ ſint partes. Ariſtoteles igitur ponit Ideas in Mente diuinâ.

Adnotandum vlteriùs, vulgatiſſimam Ariſtotelis propoſitionem in Phyſicis eſſe, Sicut ſeſe habent res arte factæ ad ſuas cauſas artificiales, ita ſeſe habent res naturales ad ſuas
Te. 23. lib. 7. Met. cauſas naturales. Verùm idem Ariſtoteles alibi ſic ait. Ab arte autem fiunt, quorum forma in Animâ eſt. Atque formam dico quidditatem cuiuſque, ſubſtātiamq. primam. Sicut igitur res, arte factæ ſuas habent Ideas, ſic & cauſæ naturales. Confirmatur: quia, ſicut quæ arte fiunt, præter formas materiæ cōplicatas, formas obtinent exemplares: ita res, quæ naturâ conſtant, præter formas materiæ coniunctas, formas obtinere debent exēplares. Ampliùs: Ariſt. enumerans ea, quæ ad formā
Lib. 2. Phyſic. tex. 28. attinēt, mentionē de Ideâ fecit in hæc verba: Ἄλλο δὲ τὸ εἶδος, καὶ τὸ παράδειγμα, τοῦτο δ' ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι. i. aliud genus cauſæ dicitur forma, & exēplar, quod eſſentiæ quidē eſt ratio. Hîc ferè tot ſententiæ, quot capita. Ratio dubitandi

eſt,

eſt, quoniam hîc Ariſtoteles formalis genus cauſæ manifeſtè conſtituit exemplar, quum tamen exemplar, & Ideam, vt à Platone fruſtra inuectam, perpetuò inſectetur. Propterea omnes Græci Interpretes, non Ideam, à rebus ſingulis ſegregatã, ſed formam naturalem, per quam ſingula conſtant, exemplaris nomine ab Ariſtotele intelligi aſſeuerant, & in hoc omnes conueniunt. Diſcrepant tamen in rationibus aſſerendis, cur forma naturalis exẽplar vocari debeat. Quoniam (inquit Alexander) ſicut exemplar illud eſt, cuius gratiâ res fiunt, ita forma naturalis ea eſt, cuius gratiâ naturale agens rem producit. Quoniam (inquit Themiſtius, & Philoponus) ſicut exemplar eſt determinatum rei faciendæ principium, ita forma naturalis eſt determinatum rei faciendæ principium. Quoniam (inquit Simplicius) forma naturalis eſt ipſius artis exemplar, vnde Artifex, dum agit, formas naturales imitatur. Alij verò ex Latinis dixerunt, Ariſtotelem hîc voluiſſe Platonis opinionẽ comprehendere, & ideò proprio exẽplaris nomine vſum. Cæterùm animaduertere oportet, Ideam, quà Idea eſt, propriè à ſingulis rebus ſeiunctam, in intellectu conſiſtere, quam agens, non quodlibet, ſed tãtùm intellectuale, inſpicit, ac, dum agit, imitatur. Forma verò naturalis, vt huiuſmodi, licèt ſit naturæ ſcopus, & finis, quemadmodum inquit Alexander, licèt determinatum rei faciendæ principiũ, vt aiunt Themiſtius, & Philoponus, licèt Artificis exemplar, vt ait Simplicius; attamẽ forma naturalis numquàm eſt à rebus ipſis ſeiuncta, numquàm per ſe in intellectu, ſed in ſingulis rebus conſiſtit. Ex quibus rectè conficitur, formam naturalem propriè, & intrinſecè exẽplar nõ eſſe, at dumtaxat ſecundum quamdam ſimilitudinem. Quamobrem Ariſtotelem, qui proprijs nominibus in rebus explicandis vti gaudet, ac Platonis Methaphoras irridet, eò proprio in loco, vbi de formâ loquitur, exẽplaris nomen adhibuiſſe, neſcio an veriſimile videatur. Sed eſto id concedendum, quia Platonis Ideas è medio tollit; & ideò ab Ariſtotele aliena ſit Idearum aſſertio. Dicant ipſi tamen, an Ariſtoteles in totâ Philoſophiâ exemplaris nomen pro formâ adhibuerit. Ita ſanè ab Ariſtotele alienum eſt, formam naturalem exemplar vocari, quemadmodum aliqui ex iſtis putant ab Ariſtotele alienam Idearum doctrinam. Sed verum eſt, Idearum doctri-

Forma naturalis exẽplar vocatur.

Idea, & forma reifaciẽda principia.

Idea propriè cõſiſtit in Intellectu, forma non item.

Alienũ ab Ariſt. formam vocari exẽplar.

nam Ariſtotelis principijs conſentaneam eſſe, neque aduerſæ rationes, quas mox ſoluemus, repugnant. Verum eſt, Ariſtotelem hic loqui propriè, & abſolutè, non analogicè. Verum eſt, ſenſum formalem, & adæquatum, dummodò æquè benè, ex præſtantiſſimis Authoribus colligi oportere. Verum eſt, Ariſtotelem exemplar affirmaſſe, dum inquit: Ab arte autem fiũt, quorum forma in Animá eſt. Quapropter, quum Ariſtoteles exemplar abſolutè conſtituat, hîc etiam exemplar, de quo loquitur, abſolutè intelligendum eſt. Nec verum denique eſt, quod aiunt nõnulli ex Latinis, hîc tantùm per nomen exemplaris Platonis opinionem memoriæ prodidiſſe. Non enim Ariſtoteles hic loquitur, alienas opiniones recitans, ſed propriam conſtituens.

Ariſt. 7. Met. te. 23.

Cæterùm iam emergunt dubitationes aduerſus noſtram ſententiam, & Ariſtoteles Ideas penitus reijcere videtur.

Ariſt. 12. Met.

Prima Obiectio. Si ponerentur Ideæ ab Ariſtotele, ad hoc potiſſimùm ponerentur, vt Deus alia præter ſe, Mundum hũc videlicet, & ea, quæ Mundo continentur, cognoſceret. Sed Ariſtoteles inquit, Melius eſſe Deo non videre vilia, & mortalia, quàm videre: vilia autem, & mortalia ea ſunt, quæ hoc Mundo continentur. In Deo igitur ab Ariſtotele Ideæ collocantur.

Reſpondetur, Ariſtotelem in libris Met. quærere, An Deus intelligat tantùm ſe ipſum, an aliquid extrà. Deinde cõcludit, Deum cognoſcere ſe ipſum per ſe ipſum; quoniam ſi cognoſceret per propriam ſpeciem, vel eſſentiam obiecti cogniti, tũc Intellectus Dei imperfectus eſſet, quippe à ſpecie, vel eſſentiã rei cognitæ perficeretur, quòd foret abſurdum. Hinc dicit Philoſophus, Deum non cognoſcere alia præter ſe, quoniam Intellectus eius vileſceret. Sed alia præter Deum duobus modis intelligi poſſunt, vel in ſe ipſis, vel quatenus diuinâ eſſentiâ continentur. In primo ſenſu dicit, Deum alia pręter ſe non cognoſcere, quoniam re verâ Intellectus eius vileſceret. In ſecundo autem ſenſu arbitratur, Deum cognoſcere alia præter ſe, quoniam ex hoc, quòd alia præter Deum in ſe ipſo cognoſcit, Intellectus eius non vileſcit. Quod ſi dicatur, oportere, vt alia præter Deum à Deo cognita ſint æterna: ideò, cum alia præter Deum ſint temporaria, incõueniens eſſe, temporariam

Dei cognitio vileſceret, ſi à propria uel eſſẽtiã, uel ſpecie obiecti cogniti duceret originẽ.

cogni-

cognitionem Deo tribuere, reſpondetur, alia prẹter Deũ, quæ à Deo cognoſcuntur, æterna eſſe quantum ad eſſe: nam habent idem eſſe, quod Deus: & dicitur, ſi Deus illa cognoſceret temporaria quantum ad eſſe, tunc Intellectus Dei fore vt vileſcat: Sed, quia Deus illa tantùm cognoſcit temporaria quantum ad repræſentationem, ideò Intellectus Dei non vileſcit. Immo vileſceret, ſi plenam, & diſtinctam rerum cognitionem non haberet. Idcircò ipſe Ariſtoteles magnum abſurdum exiſtimat, quod Empedocles affirmauit, Intellectũ ſcilicet Dei Elementa non cognoſcere, & ea, quæ ex Elementis componuntur. Inquit enim, Deum inſipientiſſimum fore, ſi hæc ignoraret, quæ homines viſu percipiunt.

Ariſt. 1. de An. tex. 80. & 3. Met. text. 15.

Secunda obiectio. Rationes omnes, aduerſus Platonicas Ideas ab Ariſtotele excogitatę, nedum ponẽdi modum Platonicum, ſed vniuersè poſitionem ipſam funditus euertũt. Ergò Ariſtoteles Ideas in diuinâ Mentè non collocauit.

Reſpondetur, & negatur aſſumptum. Videatur caput antecedens. Prima Ratio vim habet aduerſus quorumdam Platonicorum fatuam opinionem, qui dicebant, Ideas Platonicas eſſe eiuſdem penitus rationis, & naturæ cum ſuis Ideatis. Et ſuppoſitâ huiuſmodi fatuâ opinione, Ariſtoteles, vt eos cõuinceret, qui ad Aſylum illud cõfugiebant: Differunt prout corruptibile ab incorruptibili, quamuis aſſererent, in cæteris non differre, ſed eamdem penitus formalem quidditatem habere, ſecundum Argumentum confecit, quod hoc pacto vim habet ex ſuppoſitione. Tertiam autem valdè probabilem Rationem ita in medium attulit, vt, licèt neceſſaria non ſit, maximam tamen ſufficiat probabilitatem continere, quum ſit ad hominem diſputatio. Proinde Ariſtoteles ea protulit quandoque arguẽs, quæ aſſerens non opinabatur. Quarta Ratio ſupponit, ex Platonis ſententiâ Ideas eſſe numeros, quos vocant numerantes: atque hoc pacto acerrimè probat, quod infertur. Quinta Ratio vim continet, ac robur aduerſus opinionem quorumdam Platonicorũ, qui dicebant, Ideas ex Platonis ſñiâ Ideatis dũtaxat eſſe tribuere, non autem formas materiæ coniunctas, perinde atque inferret; Tantum abeſt, vt formæ materiæ coniunctæ, ad rerum generationem non requirantur, vt potiùs ſuperuacaneæ dicendæ forent Ideæ. Probatur; quoniam, ſi generãtes

Ideas nõ formas eſſe tribuere, fatua opinio.

Digitized by Google

Ideas non reſpiciunt, quomodo ſine formis, materiæ coniunctis, fieri poteſt generatio? Et hæc ſufficiant.

Tertia obiect. Ariſtoteles tantùm aſſerit, Deum eſſe cauſam vniuerſalem, ideò vniuerſè per motum Cœli fouere omnem generationem. Quòd autem hic, qui generatur, ſit homo, non equus, hoc non ab Ideâ hominis ab Ideâ equi ſegregatâ, prouenire arbitratur, ſed ſolùm quia homo proximè fit ab homine, equus ab equo. Ideò arguens contra Platonicas Ideas hæc profert: Homo enim hominem generat, & equus equum, niſi quid præter naturam fiat. Et alibi ſic inquit: Palam itaque quod non oportet propter hoc eſſe Ideas, Homo enim hominem generat. Ergo ſecundum Ariſtotelem non dantur Ideæ.

Ariſt. 7. Met. t. 28.

12. Met. t. 18.

Reſpondetur, Ariſtotelem in allatis locis tùm 7. tùm 12. Met. argumentari aduerſus fatuam quorũdam Platonicorum opinionem, qui negabant actionem ſingularium cauſarum, aſſerebant ſolùm vniuerſales. Sicut etiam nonnulli, vt ait Auerroës, quos Ioannes Grammaticus Parmenidis vocat aſſeclas, ſolùm cauſarum inſtrumentalium actionem affirmantes, primarias cauſas negabant. Quamobrem Ariſtoteles haud negat, cauſas vniuerſales remotas in effectus particulares influere, ſed negat vniuerſales remotas ſine particularibus. Conſtat enim, Solem eſſe cauſam vniuerſalem, & remotam in productione hominis, hominem verò cauſam particularem, & propinquam. Ariſtoteles autem inquit: Sol, & homo generant hominem. Quare haud negat cauſas vniuerſales remotas. Quum igitur Ideæ ſint cauſæ remotæ, iure dicuntur ſecundum Ariſtotelis doctrinam effectus particulares producere, intercedentibus tamen cauſis particularibus, & propinquis.

Auerroes 2. de Gen. & Corrup.

Ariſt. 2. Phyſ. t. 26.

Quarta obiectio. Ariſtoteles non ponit Mundi productionem, ſed tantùm conſeruationem: Verùm Ideæ ad hoc potiſſimùm ponuntur, vt Deus cuncta per eas creauerit. Ideæ igitur non ſunt in Deo ſecundum Ariſtotelem.

Reſpondetur, licèt Ariſtoteles non poſuerit Mundi productionem, quæ fuerit ex tempore, eam tamen poſuiſſe, quæ fuerit ab æterno, naturalem ſcilicet fluxum, & effectualem conſequutionem, de quâ nonnulla in proximo Capite. Inſuper

Duplex Mundi productio, temporis, & originis.

Digitized by Google

per Ideas ponit ad hoc, vt creaturæ Mundum ex generatione in generationem protrahant, & conſeruent. Id manifeſtè dixit hiſce verbis: Naturaliſſimum eſt omnibus viuentibus quęcũque perfecta, & non orbata, generare tale, quale ipſum eſt, planta plantã, animal animal, quatenus ipſo diuino participant. Hic itaque ait, Omne agens perfectum ſecundum naturam generare ſibi ſimile. Sed quomodo? quatenus ipſo diuino participat. Quomodo autem ipſo diuino participat in hac operatione præciſè, quam affert Ariſt., nempe in generatione ſimilis? Equidem dici non poteſt, agens producere ſibi ſimile, quatenus participat diuinâ illâ omnium rerum continentiâ ſine diſtinctis rationibus, quæ in Deo refulget. Nam Deus, vt huiuſmodi, nihil diſtinctè producit, quia nihil diſtinctè intelligit, intelligendo non cauſat. Vnde non valeret hoc dictum Ariſtotelis: Omne agens producit ſibi ſimile, quatenus participat eminentiâ Dei, quâ Deus cuncta ſibi ſimilia producit. Aliter itaque intelligi non poteſt, quàm hoc pacto: Omne agens producit ſibi ſimile, quatenus participans diuinâ Idearum ſerie, oportet ſibi ſimile producere, ſicut Deus in hoc Mundo per Ideas Ideis ſimilia producit, &c.

Ariſt. 2. de An. t. 34.

Agens ſibi ſimile producit, quatenus participat diuina ſerie Idearum.

Sileant igitur, qui Platonem, & Ariſtotelem de Idearum poſitione diſcordes eſſe affirmant. Sileat Pomponatius, qui Peripateticas, ſileat Syrianus, qui Academicas partes tueri profitetur. Non re verâ digladiatur cum Platone Ariſtoteles, non de Deo malè ſentit, non Theologis noſtris aduerſatur.

CAPVT X.

Deum ex Ariſtotelis ſententia non ſolùm eſſe Finem, ſed cauſam efficientem.

QVoniam tamen nonnulli Peripatetici iam allatas rationes ſoluere conantur, & ſtatuentes Deum ſecundum Ariſtotelem Finem dumtaxat eſſe, non Cõditorem, colligũt, Deum non alia præter ſe, at ſe ipſum tantùm cognoſcere, & idcircò Ideas non continere, operæ precium eſt aduerſus eos decernere, non modò ſecundum Ariſtotelem Deum eſſe cauſam finalem, ſed etiam efficientem: quod ſanè D. Thomas,

Auerroës, vt pluribus placet, Ammonius, & Simplicius confirmarunt.

Prima Ratio. Quod efficit motum, vt omnium Entium principium, eſt cauſa non ſolùm motûs, ſed etiam ſubſtantiarum. Nam cauſa efficiens ea eſt, vnde motûs principium, & rerum productio; & ideò Ariſt. dat exemplum de Patre, & Filio. Deus huiuſmodi ex ſententiâ Ariſtotelis. Verba hæc ſunt. Principium quidem enim, & primum Entium eſt immobile, & ſecundum ſe, & ſecundum accidens: mouens verò primum ſempiternum, & vnum motum. Deus igitur cauſa efficiens.

Ariſt. 2. Phyſ. t. 28. Idem 12. Met. t. 43.

Secunda Ratio. Textus eſt clarus: Vnumquodque verò id ipſum maximè aliorum eſt, ſecundum quod alijs vniuocatio ineſt, vt puta ignis calidiſſimus: etenim cæteris hic eſt caliditatis cauſa. Quare veriſſimum etiam id eſt, quod poſterioribus, vt vera ſint, cauſa eſt. Inquit itaque Ariſtoteles: Illud habet ipſum eſſe, quod cæteris propriâ efficientiâ eſſe tribuit, vt ignis, qui propriâ efficientiâ eſſe calidum cæteris tribuit. Ergo Deus eſt efficiens. Confirmatur: quia Deus apud Ariſtotelem eſt primum Ens, & primum Verum.

2. Met. t. 4. 12. Met. t. 37.

Tertia Ratio. Finis non dat eſſe, & viuere, ſed id, quod facit eſse, ac viuere: quia à primo, Eſſe communicatum eſt eſse, his quidem clariùs, illis autem obſcuriùs. Deus igitur efficiens. Nec dicas, vt ait Alexander, locum illum exponendum de corpore Cœli: quoniam Ariſt. tribuentem eſse vocat finem totius Cœli, finè, qui omne tempus, & infinitatem continet, & alia plura, quæ nullo pacto corporibus Cœli cōueniūt.

1. Cæli. tex. 100.

Quarta Ratio. Deus, & Natura nihil fruſtra faciunt Deus igitur efficiens. Quòd ſi dicas, dictum illud ſecundum communem loquendi modum ab Ariſtotele pronunciatum, neſcio quid reſpondeas: quia vel ex famâ loquatur, vel non loquatur, ſemper verum eſt, Ariſtotelem dictum illud approbâſse.

1. Cæli. t. 32

Quinta Ratio. Quidquid ex ſe non habet, quod eſt deterius, multò minùs quod eſt præſtantius. Mundus non habet ex ſe motum, ſed à Deo, teſte ipſo Ariſtotele. Non itaque ex ſe habet ſubſtantiam corpoream. Si non à ſe: ergo à Deo, quemadmodum & motum.

Hiſce omnibus Argumentis nonnulli reſpōdere, conantur, dum inquiunt, Deum facere, non vt efficicientem, ſed vt fi-

nem

nem, quatenus videlicet præſentiâ primi finis non permittit eſſe aliquid extra ordinem, & finem. Sed hæc ſolutio eſt admodùm impropria, quum velint admodum impropriè loquutum, eſſe Ariſtotelem, qui abſolutè, non limitatè, propriè, non impropriè inquit, Deum res efficere. Neque oportet ſenſus, & verba adeò extorquere, quum in eius doctrinâ Finis ſit cuius gratiâ, Efficiẽs, vnde motûs principium: quare huic verè actio competit, non illi. Idcircò Ariſtoteles Deum vocauit non ſolum Principium motûs, quod euidẽter inſert cauſam efficientem, ſed etiam vocauit Principium mouens phyſicè, quatenus diſtinguitur à principio mouente phyſicè, quum phyſicum ſit, nam Deus eſt Principium mouens phyſicè, ſed non phyſicum. Verba hæc ſunt: Duplicia autem ſunt principia mouentia phyſicè, quorum alterum non phyſicum eſt. Non enim habet motûs principium in ſeipſo. Tale autem eſt, ſi aliquid mouet, quod non mouetur, vt id, quod penitus eſt immobile, & quod omnium primum eſt. *2.Phyſ.t.73* *Duplex principium mouẽs phyſicè; phyſicum, & non phyſicum.*

Veruntamen affirmatiuam ſententiam, Deum ſcilicet eſſe dumtaxat cauſam finalem, Henricus Gandauenſis tueri conatur hiſce potiſſimùm Argumentis.

Primum Argumentum. Nihil intrinſecè neceſſarium habet cauſam efficientem: Nam quod intrinſecè neceſſarium eſt, non poteſt non eſſe. Quod autem ab alio efficitur, poteſt non eſſe: tum quia non à ſe, verùm ab alio eſſe accipit, quare neque in ſe ipſo neceſſarium obtinet ſui eſſe principium: tùm quia, ſi efficiens cauſa influxum ſubtrahat, in nihilum dilabetur. Sed Entia incorruptibilia neceſſaria ſunt apud Ariſtotelem. Deus igitur non omnia efficit. *9.Met.t.21 & 12.Met. t.41.*

Secundum Arg. Quod ab alio efficitur, non habet infinitam perfectionem. Sed Intelligentiæ habent virtutem infinitam, quum infinito tempore moueant, mouent enim æterno tempore ſecundum Ariſtotelem. Deus itaque non omnia efficit.

Ad 1. Arg. reſpondetur, & maior propoſitio negatur. Sicut enim concluſiones neceſſariæ ſunt, quum tamen fiant à præmiſſis, & motus Cœli neceſſarius, quia æternus apud Ariſtotelem, vt meridianâ luce clarius eſt, & negatiuæ ſententiæ oppugnatores negare non audẽt: ita Intelligentiæ, & Cœli res neceſſariæ eſſe queunt, licèt à Deo ſint, prout à cauſâ efficiente:

Ad

D. Thomas lib. contrà Gen. cap. 30 Caietanus 1. p. q. 9. art. 2.

Ad confirmationem ipſius propoſitionis paucis reſpondẽdum eſt cum D.Thomâ,& Caietano, Neceſſarium videlicet duobus modis ſeſe habere. Primò, intelligitur in ſe ipſo non continere vllum initium deſinendi, tàm internum, quàm externũ: Secundò, intelligitur in ſe ipſo quidem non continere principium internum deſinendi, licèt ob externum principium deſinendi eſſe nequeat. Primum Neceſſariũ eſt ſolus Deus: poſtremum Neceſſarium omnia præter Deum. Cœlum, verbi gratiâ, apud Ariſtotelem ob internum principium deſinendi non poteſt nõ eſſe, quum ea tantùm ex interno principio eſſe nequeant, quorum materia alias formas appetere, ac ſubire poteſt; Cœli verò materiam ſuæ formæ capit ſatietas. Cœlum tamen deſinere poteſt ob externum principium, ſcilicet ob potentiam Creatoris, qui, ſicut eſſe tribuit, ita ſubtrahere poteſt. Vt aliquid autem verè Neceſſariũ appelletur, ſufficit neceſſitas, quæ oritur ex internis principijs.

Ad 2. reſpondetur, nil aliud Argumentum probare, niſi Intelligentias virtutem habere laboris expertem, non tamen abſolutè infinitam: conſtat enim, quemadmodum rectè ait Bañes, multa efficere non poſſe, vt Cœlum mouere velociùs.

Multa hic de naturali Mũdi emanatione.

Quum igitur ſecũdum Ariſtotelem Deus ſit cauſa efficiens, Mundus verò æternus, neceſſariò ponit Ariſtoteles naturalem Mundi emanationem, quæ nõ fiat per verum motum, vt emanationes particulares, neque, vt illæ, ex ſubiecto deducatur: alioquin Mundus æternus non foret. Sed quoniam naturalis emanatio, ex efficientiâ, ſiue creatione ſimplicis emanationis, & ex particulari productione innoteſcit, breuibus cunctas attingam.

Creatio particularis, quâ particulare agens rem producit, fit ex nihilo, quod tamen eſt aliquid in potentiâ: album enim fit ex non albo, quod tamen eſt album in potentiâ.

Creatio ſimplicis emanationis fit ex nihilo ſimpliciter: quoniam quod per eam fit, non fit ex non tali vt ſubiecto. Anima enim creata non fit ex non Animâ, quæ ſit Anima in potentiâ.

Naturalis verò emanatio ſiue originalis fluxus, & cõſequutio, fit ex nihilo ſimpliciter, quantum ad ſubiectum, quia non præſupponit ſubiectum, & ſimul fit ex nõ Ente originali, quod tamen neque tollit æternitatem eſſendi, neque includit ſubie-

ctum,propter intimam ſibi annexam durationis coæternitatẽ. Etenim cum priori,& poſteriori Naturę ſemper rectè ſeſe habet coæternitas durationis: quemadmodum ſuppoſito, Solem eſſe æternum,lux Solis eſt poſterior Sole,quoniam à Sole procedit,tamquàm à cauſâ efficiente. Quod autem fit naturali fluxu,fit ex non Ente originali, nempe in aliquo inſtanti Naturæ non erat. Ratio,quia eſt aliquod inſtans Naturæ fundamẽtale ac reale, in quo Sol eſt,ſplendor non eſt. Verum enim ſemper eſt,Solem a ſplendore non eſſe, & à nullo eſſe,at ſplendorẽ à Sole,eſſe autem ab alio intimè,profundè,ac neceſſariò includit prius, & poſterius Naturæ. Quod enim ex ſe,non ab alio eſt, ex hoc,quòd non eſt ab alio,& aliud eſt ab illo,eſt prius effectu in vno inſtante Naturæ,& quod eſt ab alio, ex hoc, quòd eſt ab alio, eſt poſterius cauſâ in altero inſtante Naturæ. Nec poteſt intelligi,quomodo aliquid ſit prius, & poſterius naturâ, niſi prius,vel poſterius ſit in aliquo inſtãte Naturæ. Quum igitur Mundus æternus à Deo naturali fluxu emanârit, & Deus illum effecerit, neceſſariò conficitur, Mundum non fuiſſe in primo inſtanti Naturæ, in quo fuit cauſa,ſed in ſecundo inſtanti, & hoc pacto factus eſt ex nõ Ente, id eſt, poſtquàm non fuit in aliquo inſtanti Naturæ. Quum enim dico, factum eſſe ex non Ente originali, non dico, factũ eſſe ex tali non Ente,vt ſubiecto,ſed ex nõ Ente,id eſt, ex nihilo ſui, ſiue poſt nihil ſui. Et in hoc naturalis emanatio coincidit cum creatione ſimplicis emanationis. Neque oportet Mundum, per naturalem emanationem productum, præſupponere ſubiectum: ſiquidẽ ob coæternitatem durationis, intimè ſibi adnexam, hanc ſibi proprietatem vindicauit. Quippe non ſemper fuiſſet actu, ſi fuiſſet quãdoque in potentiâ: quũ tamen ratione propriâ,quia ſcilicet poſterior Naturâ eſt,factus eſt ex non Ente originali.

Eſt aliquod inſtans natura, ĩ quo Sol eſt, ſplendor non eſt.

Naturalis emanatio non præſupponit ſubiectum.

Inſuper Creatio particularis præſupponit motum. Creatio ſimplicis emanationis nullum præſupponit. Creatio naturalis non motum proprium, ſed metaphoricum: ita vt differat à primâ,quoniam non proprium; à ſecundâ,quoniam aliquẽm motum præſupponit. Quia enim Deus eſt Agens eminentiſſimum,& Vniuerſi Cõditor, rem vtique vniuerſalem,nõ particularem efficiens, non agit, vt hæc agentia particularia per motum, aut generationem,ſiue per efficientiam,quæ eſt eductio

Deus Agẽs eminentiſſimum.

Digitized by Google

ctio de potẽtiá ad actum, ſed per motum, qui cum generatione tantum ſimilitudine conuenit, Naturæ ſcilicet fluxum, & originalem conſequutionem.

Ceterùm aduerſus hanc ſententiam nonnulli arguunt: Mũdus, vt putas, eſt quandoque non Ens, & ſemper Ens. At quomodo ſeſe habent hæc duo contradictoria? Inſuper ſi datur hoc agens per emanationem ſine motu, ruunt omnes demonſtrationes 8. Phyſic. & ſimilia dicunt. Verumtamen omnia illorum argumenta eo vitio laborant, quod vocatur fallacia Aequiuocationis. Quum enim inquiunt, Tu ſtatuis Mundum non Ens: aut pro non Ente intelligunt non Ens ſecundum temporis ſucceſſionem, aut non Ens ſecundum ordinem Naturæ. Si primum, tunc ſequeretur, non Ens, & ſemper Ens, duo eſſe contradictoria: Sed qui ponunt naturalem emanationem, id numquàm aſſeuerant. Si poſtremum: quid prohibet, aliquid ſemper eſſe temporis duratione, & tamen ſemper non eſſe ordine originis? Sic etiam æquiuocant de motu. Datur quidem à nobis agens cum motu, non ſine motu, ſed cum motu, qui eſt naturalis fluxus, non cũ motu, qui eſt generatio. Nec ruunt demonſtrationes 8. Phyſ. quia valent de motu excludente creationem de nouo, ſed non valent de motu originali, qui ſemper includit rei æternitatem. At ipſi, qui negare non valent, Deum eſſe cauſam efficientem motûs, licèt, vt dictum eſt, negare vellent, Deum efficere ſubſtantias: tùm quia, vt alios locos prætercam, Ariſt. in Phyſicis ita loquitur: Primum autẽ mouens, non vt id, cuius gratiá, ſed vnde eſt motionis principium, cum eo, quod mouetur, ſimul eſt: tùm quia intelligi non poteſt, quomodo motus aliter fiat, quàm à cauſâ efficiente: Dicant quæſo, quonã pacto Deus eſt cauſa efficiẽs motûs, qui apud Ariſtotelem eſt æternus? Vel enim dicunt, motum præſupponere Deum, vel non præſupponere. Non primum: quia motus præſupponit mouens, vt patet 8. Phyſic. Ergo ſecundũ. At ſi poſtremũ aſſerunt, vel motus præſupponit Deum, ita vt Deus tempore ſit prior, quàm motus; vel ita vt ſit prior non tẽpore, ſed naturá, & origine. Si primum: ergo Mundus non eſt æternus; quod repugnat Ariſtoteli. Poſtremũ itaque affirmandum. Quod ſi Deus eſt prior naturâ, quàm motus, & illius eſt cauſa efficiens, quomodo eſt cauſa efficiens niſi per naturalem

Quod ſemper eſt temporis duratione, poteſt ſemper non eſſe ordine originis.

Ariſt. 7. Phy. t. 10.

emana-

emanationem, ſecundum quam ordine naturæ prior eſt cauſa, quàm effectus? Cæterùm, ſi datur naturalis motûs emanatio, quid prohibet, non dari naturalem ſubſtantiarum emanationem? Sed hæc modò ſufficiant. *Datur naturalis motus emanatio.*

CAPVT XI.

Non repugnare diuinæ ſimplicitati, ex Ariſtotelis ſententia numerum Idearum.

QVi falsò, vt dictum eſt, aſſeuerant, Deum eſſe finem dúntaxat, non efficientem, colligere nituntur, in Deo non eſſe Ideas, tùm rationibus, quas afferunt, tùm falsâ authoritatum ſolutione.

Rationes hæ ſunt. Prima: In Deo ſecundum Ariſtotelem eſt vna ſimpliciſſima, & indiuiſibilis eadem ratio formalis Intellectûs, intellecti, & intellectionis. At ſi dantur plura intellecta, pluresq; Ideæ, ſunt plures formales rationes intellectionis. Hoc vtique repugnat Ariſtoteli. Maior patet. Minor probatur: Vbi eſt varietas abſoluti, & reſpectiui, ibi eſt varietas rationis. Ideò, inquit Ariſtoteles, aliud eſt color, vt color, aliud color, vt viſibilis. Deus autem cognoſcit ſe ipſum ratione abſolutâ, alia præter ſe ratione relatiuâ: & ideò plura intellecta, pluresq; Ideas ratione reſpectiuâ cognoſcit. Confirmatur: quia, ſi plura ſunt intellecta, intellectio pluribus terminis terminatur. Ergo non eſt vna, & indiuidua intellectio. *Ariſtot. 3. Phyſ. t. 10.*

Secunda Ratio eſt: Si Deus cognoſcit res, prout ſunt, cognoſcit vtique vt mutabiles, & factas. Quomodo igitur vnâ intellectione indiuiduâ, & ſimpliciſſimâ cauſam, & effectum, mutabile, & immutabile cognoſcet?

Authoritates adnotatione dignas, quas diluere conantur, hæ ſunt. Prima eſt, quam ſuperiùs attulimus, Ariſtotelem ſcilicet vitio vertere Empedocli, quòd ponat Intellectum Dei multa non cognoſcere. Reſpondent autem, Ariſtotelem loqui ad hominem ex ſuppoſitione Empedoclis, qui ponit multitudinem intellectorum. Negant inſuper, Deum fore inſipientiſſimum, ſi hæc non cognoſceret, quia ignorantia eſt *Cap. 9. in reſponſione ad 1. Arg.*

priuatio in ſubiecto apto nato, Deus autem non debet ſcire alia à ſe, quum ad illius perfectionem non requirantur, præſertim quum ſit finis, non efficiens. Secunda eſt, quam ſuperiùs etiam attulimus, & dicunt, ordinem eſſe in exercitu, tāquàm ad finem, in Duce tamquàm in fine: præſentia enim Imperatoris exercitum ordinat, & moderatur, victoria autem à Duce intenta, eſt cauſa obedientię in exercitu, & ideò eſt finis, omnia dirigens, omnibus prouidens. Sic pręſentiam primi Ducis eſſe primum finem, Vniuerſi moderatorem.

In eodē. c.9.

Cæterùm, quum Deus ex Ariſtotelis ſententiâ Mundi ſit cauſa efficiens, vt dictum eſt, neceſſariò conficitur, plura intellecta, pluresq; Ideas ab illo comprehendi. Primum autem Entium plures Ideas comprehendit, non quidem actu plures, ſed plures dumtaxat virtute pluſquam æquipollente omnibus formalibus diſtinctionibus. Hoc autem exigit perfectiſſima exemplaris ratio, quâ diuina Natura omnes res & exprimit, & comprehendit, vt fusè explicabimus: neque id Principijs Ariſtotelis repugnat, neque intelligi nō poteſt, dummodo Intellectus eleuetur ad eminentiſſimam diuinam perfectionem: Ariſtotelem autem inter eos annumerari non exiſtimem, in quibus ait Commentator, ſecundum Met. exponens, Phantaſiam dominari cogitatiuæ. Propterea in Deo non ſunt aut plures rationes, aut plures termini formales, ſed vna formalis ratio, vnus dumtaxat formalis terminus, qui tamen pluribus reſpectiuis formalibus aut rationibus; aut terminis virtute eminentiſſimâ pluſquàm æquipollet. Hinc patet reſponſio ad primam iam allatam Rationem. Valet enim Ratio, ſi daretur multiplicatio realis, nō autem ſi datur virtualis pluſquàm æquipollenter.

In 2. lib.

In Deo eſt vna ratio, vnus terminus intellectiuus, pluribus æquipollens.

Ad ſecundam Rationem reſpondetur, diuinam Naturam longè eminentiore modo ſe ipſam, vnà & alia poſſe repræſentare, q̄ ſi detur imago Leonis æterna in ſpeculo æterno, in quâ & ſpeculi eſſentia, & Leonis quidditas vnico contuitu expreſſa conſpicitur. De hac re nonnulla poſtea dicemus. Quòd autem ſpectat ad illa, quæ iſti proferunt, vt diluant euidentiſſimam Ariſtotelis ſententiam, paucis ſatisfacere poſſumus, dicentes, iſtos ex falſis principijs falſas deducere concluſiones. Falſum enim eſt, Deum eſſe finem dumtaxat, non efficientem;

2. lib. c. 10. & 3. lib. c. 6. in reſponſ. ad Argum.

Dicant

Dicant quæſo, num Deus inſipiens fuerit, ſi quæ fecerit, ignoret? Quòd ſi non ignorat, vtique cognoſcit per Ideas. Si cognoſcit per Ideas, tàm abſolutè reijcit ſententiam Empedoclis, quàm contrariam abſolutè approbat. Dicere autem, ordinem in ipſo Deo conſiſtentem, eſſe præſentiam, & huiuſmodi, nil aliud eſt, quàm fatuum, & prorſus ignarum Ducem conſtituere. Etenim, ſi tantùm præſens fuerit Dux, ſine meditatione ordinum, quibus exercitus ſeruetur, ſine præceptis, ſine conſilio, Ducis nomine prorſus indignus, non Dux exercitum, ſed Ducem ducet exercitus: facinus ſanè egregium, & mirùm in modum conſentaneum tàm Deo, quàm Ariſtoteli.

Finis Libri Primi.

DE IDEIS
VT IN SE IPSIS CONSIDERANTVR.
LIBER SECVNDVS.
CAPVT I.
De Nomine Idea.

Idea dicta à videndo.

IDeę nomen ex Græcis fontibus hauritur. Idem autem eſt Græcè Idea, ac Latinè aſpectus, forma, originalis rerũ ſpecies. Dicta verò Idea ἀπὸ τοῦ εἴδειν, id eſt, à videndo, quia, dum Artifex aliquem conceptum, ac partum in externâ materiâ procreare meditatur, formam rei obiectam intellectui aſpicit, aſpiciendo conſiderat, conſiderando operatur. Vnde, quia eſt originalis rerum ſpecies, in intellectu conſiſtens, atque ad ſolam rationem pertinens, & quia eſt ratio externum opus inſpectandi, propterea Latini Ideas ſæpè ſæpius Rationes appellare cõſueuerunt. Id in causâ eſt, quòd nos Ideas vocantes Rationes, à nominis profectò, ſed non à rei proprietate diſcedimus. A nominis proprietate: quoniam Ratio Græcè non dicitur ἰδέα Idea, ſed λόγος, logos. Non autem à rei proprietate: quoniam Ideæ ſolâ Ratione, & Intelligentiâ continentur. Quoniam autem originalis ſpecies in Opificis intellectu eſt exemplar, ad cuius ſimilitudinem res exteriùs efficitur, idcircò Idea exemplaris nomen obtinuit. Et quoniam à diuino Intellectu cognoſcitur, quatenus illi intelligenda obijcitur, ideo à Plotino, alijſq; Philoſophis, & contemplationes, & rerum omnium notiones, ſiue cõceptus iure nuncupantur. Quoniam etiam in Ideis, tamquam in ſeminibus, occulta ſunt, & incluſa, quæ mox producuntur, ideo Stoici Deum appellauêre Ignem artificioſum, continentem intrà ſe omnes ſeminales rationes. Stoicam verò ſimilitudinem Triſmegiſtus expreſſit hiſce verbis: Vides Agricolam ſemen in terram proijcientem,

Plotinus in lib. de Natura.

tem,

Digitized by Google

tem, ibi frumentum, ibi hordeum, ibi aliud? Tale eſt Deus, qui in Cœlo quidem ſeminat immortalitatem, in terrâ mutationem, in Vniuerſo motum, & vitam. Quoniam denique Ideæ ſunt in primo rerum Principio, principales formæ à Claudio Mamerto dicuntur, & quoniam à Deo rebus imprimuntur, datæ Formæ ab Auſonio nuncupantur.

CAPVT II.

In Phyſicis tria prima; Deus, Mundus, data Forma. Ideas eſſe probatur.

IDeas eſſe pluribus rationibus ita oſtendimus.

I. Sicut materia prima, ita prima forma ſeſe habet. Sicut enim ſeſe habet in potentiarum ſerie prima Potentia, ita in ordine actuum primus Actus. Verùm in materiâ primâ omnes formæ naturales ſecundum confuſam quamdam potentiam exiſtunt. Ergo à primo Actu omnes formæ naturales ſecundum actum diſtinctum continentur. Deus autem eſt primus Actus. Ideæ igitur ſunt in Deo. Hoc eſt, quod innuit Auerroës: Omnes proportiones, & formæ, quæ ſunt potentiâ in primâ materiâ, ſunt actu in primo Motore.

In materia poteſtate; in Deo actu omnes formæ.

Auerroes 12. Met. t. 18.

II. Vbi præſtantior Intelligentia, ibi expreſſior plurium formarum conceptus, ac partus. Intelligentia enim præſtantior, quæ plura expreſsiùs intelligit: plura verò expreſſiùs non intelligit, niſi plures plurium rerum formas intra ſe ipſam concipiat, ac pariat. In Deo eſt perfectior Intelligentia, quàm in omnibus, immo eſt ſupra Intelligentiam, vt in myſticâ Theologiâ D. Dionyſius affirmat, & Academia confirmat, omniaq; perfectiſſimè intelligit. Deus itaque omnes rerum formas eminentiſſimè, & certiſſimè comprehendit, atque (vt Procli vtar verbis) dum ſe animaduertendo ſe ipſum gignit, in ſe ſimul generat omnia.

Intelligentia præſtantior, quæ plura expreſſius intelligit.

III. Omnis forma cuiuſcumque effectûs à causâ cõprehenditur. Nam omnis cauſa per aliquam agit formam: omnis verò effectus ab aliquâ formâ proficiſcitur. At Deus eſt cauſa omnium. Ergo in eo ſunt omnium formæ: ergo eſt eſſentia omniformis iuxta Orphicum illud: Ζεὺς εἶδος πάντων, id eſt, Iupiter ſpecies omnium.

Deus eſſentia omniformis.

IV. Ra-

IV. Ratio illa eminentiſſima, paritérq; ſapientiſſima, quæ omnia ordinat, ſe ipſam ignorare non poteſt: alioquin ſumma Ratio foret irrationalis: nullam enim ſui ipſius Rationem haberet. Mundum autem non caſu, non fortuitò, ſed eminentiſſimâ prorſus Ratione gubernari, perpetua membrorum eius tàm vehementer repugnantium cõſpiratio apertiſſimè oſtendit. Summa itaque Ratio ſe ipſam intelligit: & quia eſt rerum omnium ordinatrix, dum ſe ipſam intelligit, intelligit prout rerum omnium ordinatricem. Sed intelligere ſe ipſam, prout rerum omnium ordinatricem, nil aliud eſt, quàm intelligere, quibus Rationibus ſingula efficiat, diſponat, moderetur. Vnde inquit D. Auguſtinus ſingula proprijs rationibus à Deo creata fuiſſe. Quamobrem in ſummâ omnium Ratione ſunt omnium Rationes: hæ verò ſunt Ideæ.

D. Aug. lib. 83. q.

Omnis vita prius intra ſe ipſa generat, quàm extra

V. Omnis vita prius intra ſe ipſam generat ſuam prolem, quàm extrà. Sic vita vegetatiua tàm in plantis, quàm in animalibus ſemen, quaſi plantam, & quaſi animal in proprio corpore priùs producit, quàm iaciat extrà, & animal gignat, vel plantam. Sic ſenſitiua vita per Phantaſiam in ſe ipſa rerum ſimulachrum conficit, deinde in externam materiam progeniem ſuam tranſmittit. Sic Rationalis vita prius in ſe ipſa rei agendæ rationem producit, quam vel actione, vel ſermone palàm exhibeat. Sic angelica vita prius rerum ſpecies promit in ſe ipſa, quàm operationibus depromat exteriùs. At Deus eſt eminentiſſima omnium, & fœcundiſſima Vita iuxta illud: Ego ſum Via, Veritas, & Vita, omnes autem rerum formæ ab ipſo proficiſcuntur, quippe qui omnia procreat, ſeruat, moderatur. Deus itaque omnes rerum formas priùs intra ſe ipſum gignit, quàm extrà. Ideas igitur Deus comprehendit.

VI. Qui ſuâ eſſentiâ facit omnia, in ſuâ eſſentiâ continet omnia: alioquin quæ faceret non cognoſceret. Deus ſuâ eſſentiâ facit omnia: quare in ſuâ eſſentiâ continet omnia. Omnia verò in ſuâ eſſentiâ continere non poteſt, niſi contineat Ideas. Continet itaque Ideas.

Artifex abſque Ideis temerè, & inconſultò operatur.

VII. Omnis Artifex temerè cuncta procreabit, niſi rei faciendæ Ideam præhabeat. Deus eſt huius Mundi Opifex præſtantiſſimus, quem hunc Mũdum temerè procreaſſe, impium, fatuum, dementis eſt affirmare. Ideæ itaque ſunt in Deo. Quamobrem

Digitized by Google

mobrē Plato in Phædone, Philebo, Politico, illos Philoſophos deteſtatur, qui naturalium rerum cauſas vel ad fortunam, vel ad ipſam ſiue materiæ, ſiue Naturæ neceſſitatem referunt, ipſe autem refert omnia ad Ideas.

VIII. Princeps abſque Prouidentiâ Princeps nuncupari non poteſt, & eminentiori Principi eminentior congruit Prouidentia. Deus omnium conſenſu Princeps eminentiſſimus: quare Deo congruit eminētiſſima Prouidētia. Verùm exacta, omnibusq; numeris abſoluta Prouidentia ſine diſtinctâ rerum omnium cognitione, quæ à Principe dependent, ſeruari non poteſt. Quamobrem Deus per diſtinctas Ideas omnia cognoſcit. Quod ſi dicatur, Deum omnia cognoſcere in eminentiâ dumtaxat, non per diſtinctas Ideas, idem eſt ac ſi diceremus, pictorem, formando canem, cognoſcere Cœlum, quod ſanè riſu, & ſibilis explodendum eſt.

Hiſce rationibus clariſſimè patet, Ideas eſſe. Nonnulla tamē Argumēta ſeſe offerunt, quæ primò afferā, mox diſſoluam.

I. Quidquid Naturâ fit, à ſuo ſimili fit, vt ait Ariſtoteles. Verùm Ideata, quemadmodū Homo, ſi fierent ab Ideis, nō fierēt à ſimilibus. Nam quę genere differunt, ſimilia non ſunt. Ideata verò ſunt corruptibilia, Ideæ incorruptibiles, incoruptibile autem, & corruptibile genere differunt, quemadmodum affirmat Ariſtoteles. Ideæ igitur non ſunt in Deo. Proinde inquit idem Ariſtoteles: Palàm itaque, quòd non oportet propter hoc eſſe Ideas. Homo enim hominem generat. hæc ille.

Ariſt. 2. de An. t. 24.

10. Met. t. vltimo.

12. Met. t. 18

Reſpondemus, maiorem propoſitionem veram eſſe, vt probè ait Alexander, de agenti primario, non organico; de propinquo, non remoto. De agente primario dumtaxat: quia gladius cicatricem efficit, haud ſimilem in ſpecie. De agente ſolùm propinquo: quia homo genitus Soli nō eſt ſimilis, verū homini generanti. Quamobrem, quia Ideę ſuarum imaginū ſunt cauſę remotę, nō proximę, idcircò Ideata ſuis Ideis eſsētiā ſimilia nō ſunt, quum tamē Ideis ſimilia ſint, prout imagines exēplaribus.

II. Relatiuum præcedere abſolutum, abſurdiſſimum eſt. Verumtamen Ideata ſunt Entia abſoluta, Ideæ relatiua, quum Idea ſit Ideati Idea, & exemplaris exemplar. Quocircà relatiuum pręcedit abſolutum, quod eſt inconueniens. Ideæ igitur non ſunt in Deo.

Relatiuum præcedere abſolutum abſurdiſſimum eſt.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondetur, Ideas duobus modis accipi, vel pro imitatione, vel pro re, quæ imitationi ſubijcitur. Primo modo ſunt quid relatiuum, ſecundo quid abſolutum. Si enim Deus conſideratur prout homo, diuinam Eſſentiam ſuo modo imitatur, ita Deus refertur idealiter ad hominem, & relatiuè ſeſe habet. At ſi conſideratur prout diuiniſſimum Vnum, omnia intra ſe ipſum continens per modum vnius abſolutiſſimi, ſic Idea hominis in genere Subſtãtiæ collocatur. Illa verò in Deo reperitur tùm rei ſubſtractæ imitationi, tùm imitationis identitas, vt Idea vna ſit quid relatiuum, & abſolutum: relatiuum, prout ad hominem refertur: abſolutum, prout eadem eſt cum Deo. Etenim quidquid eſt in Deo, idem eſt ac Deus.

III. Ideata ſimilia eſſe debent ſuis Ideis. Sed Ideæ ex Platonis ſententiã numeri ſunt, Ideata proportiones numerorum. Proportiones verò non ſunt numeri, ſed conſonantiæ, ex pluribus numeris conſurgentes. Ideæ igitur non ſunt in Deo.

Ideæ proportiones Numerorũ. Reſpondetur, Ideata vocari à Platone proportiones numerorum, quia maiore compoſitione, perinde atque ampliore, ac degenere ſtructurã coagmentantur, quàm ipſæ Ideæ. Numerorum tamen proportio habet cum numero ſimilitudinem, quia nil aliud eſt, quàm numerus multiplicatus.

CAPVT III.

Ideas, quum ipſæ Creaturæ non ſint, ſecundum eſſe eſſentiæ ab æterno productæ, neceſſariò eſſe diuinam Naturam.

NOnnulli exiſtimârunt, Ideas diuinas nil aliud eſſe, quàm Creaturas, ſecundum proprium eſſe reale, à diuino eſſe diſtinctum, ab æterno productas: quod ſanè proprium eſſe non fuit eſſe exiſtentię, ſed eſſentiæ. Hæc autẽ opinio tùm Henrico Gandauenſi, tùm Scoto tribuitur. Nos aduerſus opinionem abſolutè arguentes eam penitus reijcimus, vtpote nec Veritati, nec Fidei Catholicæ conſentaneam. Etenim omne eſſe productum participatum eſt, omne participatum creatum. Sed eſſe Creaturarum, ab æterno realiter productum affirmatur: ergo & participatum, ergo & creatum. Ergo & Creaturæ

Omne eſſe productum participatum eſt.

prius

prius creatæ ſūt,quàm creatæ ſint,quod à fide alienum,& ridiculum eſt. Præterea: Creatura in nihilum tota dilabi poteſt. Etenim, ſi viuificus radius diuinæ Lucis eam non foueret, in nihilum tota dilaberetur. Si verò Creatura proprium eſſe reale in Deo obtineret,Creatura,vt Creatura, non poſſet ſecundum eſſentiam in nihilum verti: quod fatuum dictu eſt. Inſuper: ſi diuinus Intellectus ab alio perficeretur,quàm à ſe ipſo,vt probat Ariſtoteles, tunc Intellectus eius vileſceret. Ergo ſi diuinus Intellectus agnoſceret Creaturas in ſeipſis (cognoſceret autē in ſe ipſis,quia in proprio Idearū eſſe à diuino eſſe diſtincto,illas cognoſceret)ſequeretur,diuinum Intellectū ab alio perfici, quā à ſe ipſo,&ideo vileſceret,quod eſt abſurdiſſimū. Ampliùs: nihil eſt in Deo,quod non ſit Deus; alioquin multiplex foret, quod nec concipi quidem poteſt. At ſi Creaturæ eo pacto, quo dicunt iſti,in Deo reperiantur,aliquid erit in Deo, quod nō eſt Deus: quippe iſtorum Ideæ, ſecundum eſſe reale à Deo diſtinctæ,exiſtimantur. Item: ſi hæc opinio conſideretur,manifeſtè ſequitur; Deum omni re magis compoſitā longè magis compoſitum eſſe. Conſequens ſtultum eſt, ac fatuum: ergo & opinio,ex quā infertur. Probatur conſequens: quoniam ſi Creaturę habent proprium eſſe reale,à diuino eſſe diſtinctum: ergo,quum illud eſſe,nempe huius, vel illius Creaturæ, ſit in ſe indiſtinctum, ab alijs diſtinctum eſt: ergo in Deo tot ſunt Eſſentię,quot Creaturæ: ergo Deus habebit innumeras propemodum Eſſentias, quo nihil cogitari poteſt abſurdius. Quum itaque Ideæ ſint in Deo,vt dictum eſt, neque ſint ipſæ Creaturæ,in diuinā Eſſentiā productæ,reliquum eſt,vt ſint ipſa diuina Natura, quæ, quum ſit omnium Creaturarum exemplar, prout eſt à diuerſis Creaturis diuerſā imitatione imitabilis, & profectò non ita imitabilis ab vnā Creaturā, quemadmodum ab alterā; diuerſa exprimit rerum exemplaria, quæ ſunt ipſæ Ideæ, rerum omnium primordia, & origines.

Ariſt. 12. Met.

Intellectus diuinus, ſi ab alio perficeretur,vileſceret.

2.cap. huius lib.

C A P V T IIII.

Idearum definitio traditur.

IDea eſt Forma ſubſtantifica, diuinæ Menti obiecta, quam agens per imitationem exprimit, & intuetur, quatenus re-

I rum

rum omnium exemplar, & originem. In hac definitione forma locum generis obtinet, reliqua verò locum differentiæ. Dicitur Subſtantifica, vt D. Dionyſij loquendi modum imitemur, quia eſt diuina ipſa Natura, quatenus à diuerſis Creaturis diuerſâ imitatione imitabilis. Additur: Diuinę Menti obiecta, ad excludendos habitus, & actus intellectûs, qui re verâ obiecta non ſunt. Propterea egregiè inquit Alcinous Platonicus: Idea, vt ad Deum refertur, eſt Intellectio Dei, vt ad ſe ipſam, Eſſentia, vt ad Mūdum ſenſibilem, Exemplar. Verba illa: Quam agēs per imitationem exprimit, & intuetur, excludunt agentia naturalia, quippe quæ ſuas formas neque propriè exprimunt, neque exprimunt per paſſiuam imitationem, ſed per actiuum influxum, neque habent aliquam imitationem, quam ſibi, vt finem, conſtituant: hoc enim propriè ſpectat ad agentia per intellectum. Inſuper naturales formas excludunt: Etenim, quamuis agens naturale ſimilem gignat effectum, vt ignis ignem, phyſica tamen forma Idea non eſt, quoniam agens naturale, producens effectum, illam non intuetur, quia ſcilicet non agit per intellectum. Additur poſtremò: Quatenus rerum omniū exemplar, & originem: quoniam Idea hęc duo potiſſimùm præſtat, rerum notitiam, & effectionem. Ideò magnus ille Dionyſius Ideas appellat rerum omnium definitrices, & effectrices. Hæc de illius definitione quàm breuiſſimè dicta ſint, exacta enim Ideæ notitia plurimis diſceptationibus deinceps explanabitur.

Habitus, & actus Intellectus re verà obiecta non ſunt.

D. Dionyſius de Diu. Nom. cap. 4.

CAPVT V.

Idearum numerum diuinæ ſimplicitati non repugnare.

I. Obiectio. In Deo eſt vnum tantùm ſimpliciſſimum intellectum, vt probat Ariſt. 12. Met. Ideæ autem in Deo ponuntur, vt plures intellectiones. Malè itaque ponuntur.

II. Obiectio. Quemadmodum Idea eſt principium tùm cognoſcendi, tùm agendi, ita ſpecies intelligibilis, ita & Ars, & Sapientia. Verùm in Deo non ſunt plures aut ſpecies intelligibiles, aut Artes, aut Sapientiæ. Quare nec plures Ideæ.

In Deo non ſunt plures ſpecies, Artes, Sapiētia.

III. Obiectio. Sicut Ideæ ſunt multiplices relationes ad Creaturas,

Creaturas, prout imitabilitates, ita dominia, & creationes ſunt multiplices relationes ad Creaturas, prout ipſæ vel ſeruiunt, vel producuntur. Et quemadmodum ſunt plures Ideę, ita ſunt plura attributa. Sed non ſunt plura dominia, nec plures creationes, nec multiplicatio attributorum congrua videtur. Ideæ igitur non ſunt in Deo.

Adnotandum in primis, duò potiſſimùm in hac diſceptatione ſtatuenda eſſe, quorum alterum eſt, vnum eſſe in Deo ſimpliciſſimum intellectum: alterum verò, diſtinctas rerum rationes Deum in ſe ipſo continere. Quòd ſpectat ad primum, animaduertere oportet, ex intellectu, & intelligibili fieri magis vnum, quàm ex materiâ, & formâ, vt vnanimes aſſenſum præbēt Arabes, & Latini. Quò igitur magis vnum fit ex intellectu, & intelligibili, eò perfectior eſt cognitio: & vbi perfectiſſima eſt, ibi vnum prorſus, atque idem intelligens, & intelligibile. Deus autem omnium rerum perfectiſſimam habet cognitionem. Quare in Deo vnum penitus erunt intelligens, & intelligibile. Et ideò, quum ſummum intelligibile ſit ſummum intelligens, oportet, ſicut ſummum intelligens eſt ſimpliciter vnum, ita quoque vnum ſummum eſſe penitus ſimpliciſſimum intellectum, ſiue intelligibile. Vnde non eſt aliqua multitudo intellectorum in Deo, ſed eſt vnum penitus ſimpliciſſimum intellectum. Et quemadmodum ex numeris oportet aſcendere ad vnam abſolutiſſimam Vnitatem, & ex rerum gradibus ad vnum ſimpliciſſimum Primum in genere, cæterorum menſuram, ita ex omnibus intellectis oportet aſcendere ad vnum ſimpliciſſimum Intelligibile, & quia ſimpliciſſimum, ideò ineffabiliter vniforme. Quum autem à primo ſimpliciſſimo Intelligente cognoſcitur, quoniam eſt primum ſimpliciſſimum intelligibile, propter ſuam intelligibilium, & intellectorum fœcunditatem ſub varijs formis, & Ideis concipitur, quatenus Creaturas vniuerſas repræſentat. Proinde non ſolùm eſt intellectum vniforme, ſed & omniforme, habēs videlicet omnes formas pluſquàm vnitiuè in ipſâ formâ formarum, diuinâ Eſſentiâ, & eſt primum intelligibile, quod eſt omnia intelligibilia, per modum tamē ſuperexcellētis virtutis, & eminentię. Proptereà Ariſtoteles affirmauit, vnum eſſe primum Intellectum, & D. Thomas hæc protulit. Et ſic patet ex omnibus præ-

Ex intellectu, & intelligibili fit magis vnū, quàm ex materia, & forma.

In Deo non eſt multitudo intellectorum.

Deus primū intellectum vniforme, & omniforme.

Ariſt. 12. Met. D. Tho. 1. p. q. 14. art. 4.

I 2 miſſis,

miſſis, quod in Deo Intellectus, & id, quod intelligitur, & ſpecies intelligibilis, & ipſum intelligere ſunt omninò vnum, & idem. Quod ſpectat ad ſecundum, quod præpoſuimus diſcutiendum, operæ precium eſt conſiderare, cognitionem tantùm in eminentiam, ſiue vniuerſè, non autem per diſtinctas rationes, & ſingularem, imperfectam eſſe. Nam cognitio vniuerſalis eſt cognitio confuſa, ſingularis autem diſtincta. Diſtinctum verò, & confuſum ſeſe habent vt perfectum, & imperfectum. Quare, ſi Deus vniuerſè dumtaxat omnia cognoſceret, vt dicebat Auerroës, omnia ſcilicet quatenus ſunt, imperfectam cognitionem haberet, quod eſt abſurdum. Et ideò non vniuerſali, & ſingulari cognitione omnia cognoſcit, eaq; omnium Creaturarum in Deo reperitur diſpoſitio, quæ Regni in Rege, artificiatorum in Artifice, ſcientiarum in Sapiente, domus in Patrefamilias. Vnde inquit D. Auguſt. Reſtat, vt omnia ratione ſint condita, nec eadem ratione homo, quà equus: hoc enim abſurdum eſt exiſtimare. Singula igitur proprijs ſunt creata rationibus.

D. Aug lib. 83. q.

Conſtitutis duobus hiſce diſceptationis noſtræ principijs, quoniam ſcilicet in Deo eſt vnum ſimpliciſſimum intellectũ, & quoniam Deus rerum omnium diſtinctas rationes comprehendit, oportet, vt Ideæ ſint vnum ſimpliciſſimum intellectum, ac ſimul, pariterq; plura intellecta. Quomodo autem hoc fieri valeat, ita declaramus: Ideæ actu, & realiter, ſunt ipſa diuina Natura, vt dictum eſt. Diuina verò Natura omnium rerum cognitionem in ſe ipſa continet, prout à diuerſis Creaturis diuerſa imitatione imitabilis, diuinâ intellectione concipitur. Non enim æquè omnia rerum omnium Authorem imitantur, vt dixit Ariſt. hiſce verbis: A primo Ente communicatum eſt eſſe, his quidem clariùs, illis autem obſcuriùs. Quoniam autem omnia repræſentat, ideò eſt omnium Idea, & quoniam vna eſſentia, idcircò vna Idea eſt. Propterea Plato Deum appellat Ideam Boni, in libris de Rep. Clemens Alexand. omnium Ideam, Boëtius ſupernum exemplar:

Ariſt. 1. Cœl. tex. 100.

Plato di Repu. Clem. li. 4. ſtrom.

Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum Mente gerens, ſimiliq; in imagine formans.

Quin & Mercurius in Pimandro ſic ait: Μίαν ἐν ἔχει ἰδέαν,

ἥτις

ἥτις ἐστὶν αὐτοῦ ἰδία, ἥτις ταῖς ὄψεσιν οὐχ ὑποσταίη ἀσώματος, καὶ πάσας διὰ τῶν σωμάτων δείκνυσι. Vnam habet Ideam Deus, quæ illius eſt propria, quæ neque oculis ſubiacet, prout incorporea, formaſq; per ſingula corpora exprimit. Ideæ igitur, quum ſint actu vna eſſentia, ſunt actu vna Idea, vnumq; ſimpliciſſimum intellectum. Quoniam autem diuina Eſſentia eius eſt ſupereminentis perfectionis, vt omnem eſſendi modum plusquàm æquipollenter contineat, & repræſentet, ideo, licèt actu ſit vna Idea, attamen ſecundum virtutem tot habet Ideas, quot imitabilitates à Creaturis, id eſt, ita perfectè, & vnitiuè, per modum vnius ſimpliciſſimi intelligibilis Deo intelligenti obijcitur, vt omnia in vno ſimpliciſſimo intelligibili longè nobiliùs, clariùs, perfectiùs repræſentet, quàm ſi plura diſtinctiſſima intelligibilia, pluresq; Ideas contineret. Adnotandum tamen, duobus modis accipi eſſe virtuale. Primò quatenus diſtinguitur, ac rectâ lineâ opponitur eſſe ipſi formali, ſiue actuali, quemadmodum affirmamus, ſapientiam in puero ita ſecundum virtutem inueniri, vt actu in illo non reperiatur. Atque hoc pacto non aſſeueramus Ideas ſecundum virtutem diſtinctas, ac ſi diceremus, in Deo re verà non inueniri. Hic autem fuit error Plotini, & vniuerſæ Academiæ, qui aſſerunt quidem, Ideas in Deo ſecundum virtutem reperiri, ſed formaliter in primâ Creaturâ. Secundò quatenus plusquàm æquipollet omni modo eſſendi formali, ſiue actuali, omnibus intellectis, omnibusq; diſtinctionibus. Atque hoc pacto affirmamus, Ideas ſecundùm virtutem ita diſtinctas eſſe, vt infinito propemodum interuallo, & plus æquipollenter ſint diſtinctæ, quàm ſi eſſent actus diſtinctiſſimi prout multiplices formæ, pluraq; intelligibilia. Ratio eſt ſuperexcedens, omniaq; perfectiſſimè continens vnitas diuinæ intellectualis Naturæ, à quâ diuina Natura habet, vt & quodlibet ſibi vniat, & quodlibet in eâ immaculatam, & impermixtam ſeruet ſingularem proprietatem. Sicut enim virtus cognoſcens, quò magis vna eſt, eo eſt maioris, & vehementioris perfectionis, atque ad plura ſeſe extendit, quemadmodum ſenſus communis, qui vnus exiſtens, cæterorum omnium obiecta cognoſcit: ita ſpecies, & obiecta, quò maiorem obtinēt vnitatem, eò maiorē obtinent excellentiā in re-

Vna tãtum actu Idea.

Plures virtute Ideæ.

Virtus, plus quā æquipollens.

Virtus cognoſcēs, quò magis vna eò maioris perfectionis.

Digitized by Google

repræſentando, ac longè plura exprimunt, altioriq. modo, & magis diſtinctè. Nam vtique non eſt maior ratio de virtute cognoſcente, quàm de ſpecie, & obiecto. At diuina Eſſentia ſupremum obtinet, atque ineffabilem gradum vnitatis. Idcircò vna penitus Idea exiſtens, omnia ſecundum virtutem pluſquàm æquipollentem diſtinctiſſimè repræſentat. Cõfirmatur: quia ſi diuina Eſſentia omnem eſſendi rationem, & modum eminentiſſimè continet, eiusq; ſuperexcellentis perfectionis eſt, vt ſimpliciſſimá vnitate præhabeat in ſe ipſa; vnde omnes Creaturæ illi ſimiles fiant ſecundum proprias earum quidditates, nonne oportet, vt eius quoque ſit in repræſentando ſuperexcedentis perfectionis, ob quam omnium rerum ſit vna penitus ratio, & exemplar, omnia ſecundum eminentiſſimam pluſquàm æquipollentem virtutem perfectiſſimè ſimul, ac diſtinctiſſimè repræſentans?

Idea non ſolùm diſtinguuntur vt quod, ſed etiã vt quo. D. Thomas 1. p. q. 15. art. 11.

Ex dictis elicio, non ſolùm, quemadmodum ait Caietanus, Ideas diſtingui vt quod, ſed etiam, quod ipſe negare videtur, vt quo; nõ ſolùm, inquam, vt obiecta intelligibilia, ſed vt principia intellectionis, ſiue ſpecies intelligibiles. Verumtamẽ hoc D. Thomæ aduerſari videtur; Nam ipſe hæc profert: Non eſt autem contra ſimplicitatem diuini Intellectus, quòd multa intelligat, ſed contra eius ſimplicitatem eſſet, ſi per plures ſpecies eius intellectus formaretur. Re verà tamen non aduerſatur. Dicimus nos, Ideas eſſe actu vnam tantùm ſpeciem intelligibilem, ipſam videlicet diuinam Naturam, quæ ſeſe habet ad Intellectum Dei, tamquàm ſpecies intelligibilis: & in hoc sẽſu negat D. Thomas plures eſſe ſpecies intelligibiles. Dicimus etiam Ideas ſecundum virtutem pluſquam æquipollentem plures eſſe intelligibiles ſpecies, id eſt, diuinam Eſſentiam per modum vnius ſpeciei intelligibilis ita perfectè, ac diſtinctè Ideas continere, ac ſi eſſent ipſæ Ideæ plures ſpecies intelligibiles actu diſtinctiſſimæ: & in hoc ſenſu non inficiatur D. Thomas, plures Ideas eſſe, vt plures ſpecies intelligibiles. Attamen ſecundũ noſtrum modũ concipiendi negat D. Tho. plures eſſe Ideas, vt principia intellectionis, etiam ſecundũ virtutem. Non enim plura obiecta intelligere, includit ſecundum noſtrũ modũ cõcipiendi imperfectionẽ, immo perfectionem: ſed pluribꝰ ſpecieb. intellectum formari, hoc includit imperfectionem.

Pluribus ſpeciebus Intellectũ formari, includit imperfectionem.

Ad

Ad primam Obiectionem patet ex dictis reſpõſio. Idea eſt actu vnum intellectum, plura verò ſecundum virtutem, pluſquàm æquipollentem.

Ad 2. reſpondetur, ſpeciem intelligibilem in diuino Intellectu duobus modis ſeſe habere; fundamentaliter, vel Idealiter; actu, vel virtute. In primo ſenſu eſt vna ſpecies intelligibilis, in ſecundo plures. Vt autem ſunt plures ſpecies, ſunt plures Ideæ, neque hoc eſt inconueniens, vt dictum eſt. Dicitur poſtremò, de Arte, Sapientiâ, & Ideis, parem non eſſe rationem, quia diuina Ars, & Sapientia habẽt ſolùm rationem principij efficientis, non obiecti. Ad diſtinctam verò Dei cognitionem exigitur, plura eſſe obiecta, quæ ſint plura principia obiectiua: ſed non exigitur, vt illud, quod eſt dumtaxat principium efficiens, in plura principia efficientia diſtribuatur. Siquidem vna dumtaxat ars ad plura ſufficit producenda, ſed non vna ſufficit Idea ad plures res producendas. *Ars, & Sapientia principium efficiens, non obiectum.*

Ad 3. reſpondetur, plurimùm intereſſe inter dominium, creationem, & Ideas. Illa enim habent rationem cauſæ dumtaxat, non obiecti: & ideò vnum tantùm dominium eſt, vna creatio. Sed Ideæ ſunt cauſæ efficientes obiectiuæ, & ideò ſunt plures. Negatur verò attributa non eſſe plura: alia enim eſt diuina Bonitas, alia Sapientia.

CAPVT VI.

Ideas non eſſe actu obiectum ſecundarium, ſed tantùm ſecundum virtutem pluſquàm æquipollentem.

CEnſet communis Schola Theologorum, duo eſſe obiecta diuini Intellectûs, alterum primarium, alterum ſecundarium, illud Eſſentiam diuinam, iſtud Creaturas, ſiue Ideas: quòd ſcilicet illud immediatum, iſtud mediatum, per illud iſtud, non per iſtud illud cognoſcitur. Verũ, vt de diuinis pro viribus dignè loquamur, animaduertere oportet, formaliter, ſiue actu, non eſſe in diuinis duo obiecta, alterum primarium, alterum ſecundarium. Hoc autem probatur, primò ex parte intelligentis, ſecundò ex parte rei intellectæ. Quod ſpectat ad primum, conſtat profectò Intellectum Dei non tranſire de intellectione in intellectionem, ſed omnia, quę ſimul adſunt, *Obiectum primariũ, & ſecundarium.*

vnico

vnico incommutabili contuitu intelligere: alioquin ſcientia eius variabilis eſſet, quod perabſurdum, & D. Iac. atteſtatur, quippè qui aſſerit, apud Deum tranſmutationem non eſſe, nec viciſſitudinis obumbrationem. Idcircò Deus aliter nunc, aliter antea, aliter poſtea non videt. Non enim more noſtro, vt inquit D. Auguſt. vel quod futurum eſt proſpicit, vel quod præſens eſt aſpicit, vel quod præteritum eſt reſpicit, ſed præterita, præſentia, futura, ſtabili, ac ſempiternâ præſentiâ cōprehendit. At ſi diuinus Intellectus duo obiecta, alterum primarium, alterum ſecundarium formaliter, vt huiuſmodi, diſtincta intueretur, vnicè non intueretur, ſed quia formaliter vnum obiectum eſt prius, alterum poſterius, idcircò illud antea, hoc poſteà intelligeret, quod eſt inconueniens. Adde, non poſſe maximam cogitari Naturæ intimationem, & idemtitatem inter plura formaliter, & vnum ſimpliciter. Dictum autem eſt, ſummum Intelligibile, & ſummum Intelligens eſſe omninò vnum, & idē. Quomodo ergo vnus omninò intelligentis intuitus, ſi plura formaliter intuetur? quæ proportio, quæ intimatio Naturæ, quæ ſumma idemtitas inter primum Intelligibile, & primum Intelligens, ſi plura formaliter ſunt obiecta intelligibilia? Non ſunt itaque in Deo duo formaliter obiecta, alterum primarium, alterum ſecundarium, ſed vnum obiectum abſolutiſſimum, abſtrahens à primario, vel ſecundario per eminentiſſimam perfectionem. Non enim poteſt dici formaliter primarium, quia non diſtinguitur à nullo formaliter ſecundario. Quòd ſpectat ad ſecundum, quod propoſuimus diſcutiendum, palàm eſt, diuinam Eſſentiam plus eſſe eădem ſuis Ideis, quàm ego ſum idem mihimetipſi: tùm quia ſupremam idemtitatem actualem, ſiue formalem cum ſuis Ideis continet, quá non ſolùm maior excogitari non poteſt, ſed infinitè maior eſt oī formali idemtitate, q̄ excogitari pōt: tùm quia eſt actu vna Idea, vnum ſimpliciſſimum intellectum, vt dictum eſt. Ergo, quemadmodum fieri non poteſt, vt ego videam me ipſum, niſi videam me: ita fieri non poteſt, vt Deus videat ſuam Eſſentiam, quin videat ſuas Ideas. Atque hoc pacto intuitus diuini Intellectûs ad ſuam Eſſentiam, quatenus obiectum primarium, & ad Creaturas, ſiue Ideas, tamquàm obiectum ſecundarium, formaliter non terminatur, ſed

Epiſt. 1.

D. Auguſt. de Ciu. Dei lib. 11. c. 21.

In Deo vnū obiectū abſolutiſſimum abſtrahens à primario, vel ſecundario.

ſe tan-

ſe tantùm, & nihil aliud à ſe vel primariè, vel ſecundariè intuens, vnitiuè, & ſupereminenter, & pluſquam æquipollenter omnia cognoſcit.

Propterea adnotandum, diuinam Eſſentiam, & Ideas eſſe duo obiecta, primarium, & ſecundarium, non formaliter, at ſecundum virtutem pluſquàm æquipollentem omni formali obiectorũ diſtinctioni. Quoniam enim Eſſentia diuina eſt in ſe ipſa infinitè perfectiſſima, & quamuis nullis Creaturis exiſtentibus, nullas ipſa Creaturas per Ideas exprimeret, infinitè perfectiſſimum foret diuinæ cognitionis obiectum, ideò virtute pluſquàm æquipollente primarij obiecti nomen ſibi vendicat, Creaturæ autem ſecundarij, id eſt, Eſſentia diuina ita per modum vnius abſolutiſſimi obiecti, Eſſentiam diuinam, & Creaturas vnà repræſentantis, diuinæ Menti obijcitur, vt in hoc vno abſolutiſſimo obiecto ſe ipsâ clariùs, & perfectiùs repræſentet, quàm ſi eſſet obiectum diſtinctiſſimum à Creaturis, & quia nihil egens Creaturis, ideò vt obiectum primarium diuinâ intellectione conciperetur, Creaturæ autem vt obiectum formaliter ſecundarium. Et in hoc ſenſu communis Schola Theologorum optimè in Deo conſtituit obiectum primarium, & ſecundarium.

Diuina Eſſentia infinitè perfectiſſima.

Verumtamen quæ dicta ſunt, eâ de causâ falſa videntur, q; abſurdiſſimũ illud ſequeretur, Eſſentiam diuinam conſiſtere non poſſe abſque Creaturis, quæ productæ ſunt in rerum Natura. Sed reſpondetur, quod exiſtimatur abſurdum, non eſſe abſurdum, ſuppoſitâ determinatione diuinæ Voluntatis. Deus enim ab æterno prædeterminauit omnes Creaturas faciendas, & has omnes ab æterno ſimul cum propriâ Eſſentiâ vnico incommutabili contuitu, per modum vnius abſolutiſſimi obiecti, intellexit: alioquin eius cognitio ab æterno omninò perfecta non fuiſſet. Cum hoc tamen illud rectè ſeſe habet, potuiſſe diuinam Eſſentiam, niſi Deus in primâ æternitatis caligine aliter determinâſſet, abſque Creaturis faciendis conſiſtere, propter ſuperexcedẽtem virtualem diſtinctionem, pluſquàm æquipollentem omni formali diſtinctioni inter diuinam Eſſentiam, & Creaturas.

Deus ſeipsũ, & Creaturas ab æterno vnico incommutabili contuitu intellexit.

Digitized by Google

CAPVT VII.

Ideas in diuino Intellectu rationem ſimul, & formalem, & obiectiuam includere.

MAgna diſceptatio à recẽtioribus Philoſophis excitatur, num Ideæ in Mẽte diuinà ſeſe habeant vt forma penè extrinſeca, ſiue vt ſpecies impreſſa, vel vt forma intrinſeca, nempe Verbum, ſiue ſpecies expreſſa: adeò vt quæſtio ſit: Num Ideæ intelligantur vt conceptus obiectiuus, vel vt conceptus formalis. Priorem ſententiam Caietanus tueri videtur, poſteriorem Ferrarienſis, Suarez, & alij.

Tria ad intellectionẽ, obiectũ, Species, Verbũ.

Cęterùm, vt rei veritatem facillimè perpendamus, animaduertere oportet, tria ad intellectionem pertinere, Obiectum, Speciem intelligibilem, & Verbum. Illud externum, hanc penè externam, tertium internum. In Deo non ſunt Ideæ vt obiectum externum, quia tunc eſſent in Deo ſecundum materiæ conditiones, quod eſt abſurdiſsimum. Nec etiam quærimus, an Ideæ ſeſe habeant in Deo, vt obiectum præcisè: quoniam incideremus in opinionem, quæ Scoto tribuitur, ponentes videlicet in Deo aliquod eſſe productum Creaturarum, à Deo re ipsà diſtinctum, quod eſſet obiectum diuinæ intellectionis. Quamobrem ſupereſt, Ens in Deo reperiri vel vt Speciem intelligibilem, vel vt Verbum. Quod patet: quoniam Eſſentia diuina eſt omnium rerum ſimilitudo: ſimilitudo autem rei intellectæ vel eſt Species intelligibilis, vel Verbum. Ex dictis verò conſtat, Ideas eſſe diuinam ipſam Naturam, quatenus rerum omnium ſimilitudinem, & exemplar. Primò itaque probatur, Ideas in Deo non reperiri vt ſolas ſpecies intelligibiles, mox neque vt ſolas ſpecies expreſſas.

Proprium exemplaris rem exprimere.

Quod ſpectat ad primum, conſtat, expreſsionem rei propriè, ac neceſſariò Ideæ competere: ſiquidem proprium eſt exemplaris rem exprimere. Verùm, ſi vt ſpecies intelligibiles Ideę tantùm ſeſe haberent, rem vtique perfectè non exprimerẽt. Nã ſpecies impreſſa inchoat intelligendi actũ, & ideò non exprimit. Verbũ aũt terminat intellectionẽ, & ideò exprimit, & ſpecies expreſſa vocatur. Etenim, ſi res attẽtè cõſideretur,

Digitized by Google

deretur, ſpecies Intelligibilis per ſe primò mouet ſolùm intellectum ad ſui conceptionem, ex quâ poſtea Intellectus alium conceptum format, in quo, vt præcipuo obiecto, & maximè perfecto, terminatur, & quieſcit. Non igitur ſufficit, Ideam ſeſe habere vt conceptum obiectiuum. Inſuper: Ideæ, vt ait D. Thomas, ſunt plures in Deo, quatenus intellectæ. Verùm ſpecies intelligibilis eſt potiùs Quâ, ſiue per quam intelligitur, ſpecies verò expreſſa eſt potiùs Quam, ſiue quam Intellectus intelligit. Illa enim inchoatio, hæc terminus intellectionis. Quamobrem hæc potiùs ſeſe habet vt id, quod intelligitur, illa vt principium, quo intelligitur. Ideæ igitur non tantùm ſeſe habent vt ſpecies impreſſæ. *Species quâ, & ſpecies Quam.*

Quòd ſpectat ad ſecundum, palàm eſt, formam intelligibilem præcisè modum actiuum continere, expreſſam modum paſſiuum. Nam illa propriè informat Intellectum; quoniam iungit obiectum Intellectui: hæc autem propriè formatur ab Intellectu: quoniam obiectum, fermè iunctum Intellectui, ſupponit. Ergo ſecundum noſtrum modum concipiendi oportet, vt prius Intellectus Dei informetur à diuinâ Eſſentiâ, ſub diuerſis Ideis conceptâ, quæ ſeſe habet vt ſpecies intelligibilis, deinde formet ipſe formalis conceptus, & hoc eſt formare ſpeciem expreſſam, vel Verbum. Et quoniam omnes Creaturarũ perfectiones in Deo reperiuntur, humana verò diuinis accommodantes, omnes imperfectiones remouere debemus, idcircò, quum ſpecies intelligibilis ſit Intellectûs noſtri perfectio, vel eam omninò Deo tribuere debemus, quod perabſurdum; vel ſaltem demptis imperfectionibus, quod fieri oportet. Accedit: quòd Ideæ ſunt principia cognitionis: Verbum autem propriè ſeſe habet non vt principium, ſed vt terminus cognitionis, ſpecies verò intelligibilis propriè non vt terminus, ſed vt principium intellectionis. Quamobrem impreſſæ ſpeciei rationem Ideæ continent, atque hoc pacto non vt ſola Verba ſeſe habẽt. *Verbũ propriè ſeſe habet, non vt principium, ſed vt terminus cognitionis.*

Quum igitur Ideæ neque vt ſolæ ſpecies intelligibiles, neque vt ſola Verba in Diuinâ Mente conſiſtant, manifeſtè ſequitur, diuinam Eſſentiam vtrumque exemplaris modum vnitiuè, & ſupereminenter comprehendere. Quoniam enim perfectiſſimè omnia repræſentat, ideò quidquid habet perfectionis vel ſpecies intelligibilis, vel Verbum, eſſentialiter dictum,

Digitized by Google

ſibi vendicat. Quatenus eſt principium intellectionis, Species intelligibilis, quatenus terminus cognitionis, Verbum appellatur. Quatenus intellectui imprimitur, Species intelligibilis, quatenus omnium expreſſio, Verbũ nuncupatur. Sed quia ob infinitam perfectionem infinito propemodum interuallo omnem exemplaris modum ſuperexcedit, ideò nõ velut Ens per accidens, ex ſpecie intelligibili, & Verbo componitur, ſed vtriuſque rationem eminentiſſimè, & pluſquàm æquipollenter continens, abſtrahit ab vtriſque, & in abyſſo primarum Tenebrarum ſeſe cõtegens, vt exemplar, actu vnitiſſimum, & ſimul virtute diſtinctiſſimum, diuinâ intellectione concipitur. Magis enim ita repræſentat, ac ſi eſſet vnâ & Species intelligibilis, & Verbum. Et ideò eſt diuina ſuperexcedens exemplaris præcõceptio, omnem exemplarium rationem propriâ Dei ratione continens, quod eſt ſupereminenter, & pluſquàm æquipollenter contineri. Propterea D. Thomas vtrumque exemplaris modum, obiectiuum, & formalem de ratione Ideæ conſtituit in hæc verba: Sic igitur per vnam Speciem intelligibilem, quę eſt diuina Eſſentia, & per vnam intentionem intellectam, quæ eſt Verbum diuinum, multa poſſunt intelligi. Rectè autem ibi adnotat Ferrarienſis, verbum non accipi vt ſecundum Perſonam in diuinis, quia nondum de Trinitate facta mentio, & cum Philoſophis Author diſputabat, aduerſus quos tunc temporis fatua eſſet huiuſmodi aſſertio, ſed accipi vt Verbum, eſſentialiter dictum: quoniam videlicet Eſſentia diuina, quatenus Verbum, omnia per Ideas repræſentat. Quamobrem Sectatores D. Thomæ, ſi Doctoris ſui fundamenta rectè conſiderant, fruſtrà contendunt, alij Ideam eſſe Verbum, alij conceptum obiectiuum. Verum enim eſt ſecundum D. Thomam tùm Ideam eſſe Verbum, tùm Speciem intelligibilem. Neque hoc incongruit: nam ſi duo iſti conceptus neceſſariò ſemper connectuntur, quum ad idem referantur, idem repræſentent, eamdem ferè exemplaris rationem contineant, quantò magis in diuinâ Eſſentiâ identificabuntur, in quâ propter ſummam identitatem omnia ſunt vnum? Nos autem hoc pacto omnia in diuinâ Eſſentiâ omni prorſus vnitate conſtituentes, cuncta, quæ fieri poſſunt Argumenta pro vtráque diſputantium opinione, facilè admittimus. Quippe nihil negan-

D. Thomas lib. 1. contra Gent. cap. 53

D. Thomæ ſectatores fruſtrà contendunt.

Digitized by Google

negantes, omnia per eminentiſſimam affirmationem Deo tribuimus.

CAPVT VIII.

Ideas per ſe primò ſeſe habere in Deo vt cauſam formalem, ſecundariè vt finalem, tertiò vt efficientem.

SVarez in Metaphyſicis diſputationibus de cauſâ exemplari, Ideam reuocat ad cauſam efficientem, hiſce argumentis.

I. Argumentum. Ariſtoteles quattuor genera cauſarum tantùm recenſuit. At ſi Idea ad cauſam formalem, non ad efficiētem, reducatur, quinque genera cauſarum aſſerere oportet, quod ab Ariſtotele alienum. Probatur: quia Idea vix plùs, quàm nomine conuenit cum cauſâ formali. Nam forma informans eſt intrinſeca, & pars eſſentialis compoſiti, Idea verò extrinſeca, eatenus cauſæ formalis rationem obtinens, quatenus per imitationem paſſiuam concurrit ad dādam ſimilem formam, & ſpeciem effectui. Vnde inter ſe magis differunt, quàm materia, & forma, & non minus, quàm forma, & cauſa efficiens, quum etiam forma efficiens ſit forma, & cauſa extrinſeca, cuius participatio eſt forma informans, ab eâ procedens. *Ariſt. quattuor genera tantùm cauſarum recēſuit.*

II. Sicut ſeſe habet Ars in Artifice, ſic & Idea. Sed Ars ad cauſam efficientem pertinet: ergo & Idea. Maior probatur: quoniam Ars non cauſat ab extrà, niſi per Ideam, & ſicut Ars eſt principium artificioſum, ſic & Idea. Minor patet: quoniam Ariſtoteles, agens de cauſis, vocat Statuarium cauſam per ſe Artis: quoniam, ſicut interior domus eſt cauſa efficiens domûs exterioris, vt ait idem Ariſt. ſic Ars, & Idea ſunt cauſæ efficientes artificiatorum: quoniam, ſicut voluntas, & potentia exequens, illa vt mouens potentiam exequentem, hæc vt exequens, ad cauſam efficientem pertinent: ſic Ars, quatenus dirigit, ac determinat potentiam exequentem, ad idem genus cauſæ pertinet. Vnde, quoniam Ars dirigit, & determinat per Ideam, propterea ſequitur, Ideam quoque eſſe cauſam efficientem. *Sicut Ars ī Artifice, ſic & Idea.* *Ariſtot. 7. met.*

III. Sicut

Digitized by Google

III. Sicut agens naturale completur in ratione principij agentis per formam, ita agens intellectuale completur in ſuo ordine per Ideam. Nam ſicut illud per formam continet ſimilitudinem effectûs, & ad eum determinatur: ita iſtud per Ideam cõtinet ſimilitudinem effectûs, & ad eũ determinatur, ſaltem quò ad ſpecificationem. Nam quò ad exercitium non determinatur per ſolum exemplar, & ideò indiget voluntate. Sed forma in agente naturali complet modum cauſæ efficientis, non autem nouum genus cauſæ conſtituit. Ergo forma in agente intellectuali complet modum cauſæ efficientis, non autem nouum genus cauſę conſtituit.

Forma complet modum cauſæ efficientis.

Probat etiam Suarez, Ideam non pertinere ad cauſam finalem: & eius verba ſatis prolixa, licèt admodum inſignia, in hoc omninò tendunt, vt probent, Ideam eſſe quidem & exemplar, & finem, verùm ſub diuerſa ratione cauſalitatis: & quia propriè ſub ratione exemplaris nullam habet finis rationem, ideò propriè non pertinere ad cauſam finalem.

Cæterùm ad rei veritatem conſequendam, animaduertere oportet, quemadmodum in agente naturali forma informans ſeſe habet, ita in agente intellectuali ſeſe habere formam exemplarem. Nam per vtramque formam vtrumque agens & continet ſimilitudinem effectus, & ad eum determinatur, vt rectè ait Suarez. Sed in agente naturali prius eſt eſſe formæ, quàm eſſe cauſæ efficientis: prius enim homo eſt homo, quàm homo generans. Ideò forma, per quam agit agens naturale, prius reducitur ad cauſam formalem, quàm ad cauſam efficientem; ex quo ſequitur, eam primò, & per ſe eſſe cauſam formalem, ſecundariò efficientem. Vnde Suarez non rectè aſſerit, formam in agente naturali complere tantùm modum cauſæ efficientis, non autem nouum genus cauſæ conſtituere. Sic igitur in agente intellectuali prius eſt eſſe cauſæ exemplaris, quàm eſſe cauſæ efficientis. Etenim agens per Intellectum nihil agit, quod antea non cognoſcat, ſicut Artifex prius cognoſcit Ideam, deinde producit rem in externa materia. Idcircò neceſſe eſt Ideam prius eſſe Ideam, quàm eſſe cauſam efficientem. Vt autem Idea eſt, forma imitabilis eſt, ac profectò, vt huiuſmodi, non eſt cauſa efficiens, ſed eſſe formam imitabilem, hoc ſolùm per ſe, & directò pertinet ad cauſam forma-

Prius eſſe formæ, quã cauſæ efficiẽtis.

Idea, vt Idea, forma imitabilis.

formalem. Etenim forma, vniuerſè accepta, eſt nomen analogum ad formam informantem, & exemplarem. Quippe fundamenta analogæ ſimilitudinis diuerſarum rationum ſimpliciter ſunt, eâdem verò proportione. Et ideò analogo nomine res diuerſæ ita ſignificantur, vt, quatenus vno nomine ſignificantur, ad res diuerſas ſecundum vnam proportionem vniantur. Ideò etiam analogata ſimpliciter diuerſa ſunt, & vnum proprium abſolutum eſſendi modum conſtituunt, quem cum alijs analogatis non habent communem. Nam ratio cognitionis, fundamentum ſimilitudinis inter Intellectum intelligentem, & oculum videntem, alia eſt in Intellectu, alia in oculo: & ideò abſtrahi non poteſt ratio cognitionis ab Intellectu, & oculo, ſed ratio cognitionis in Intellectu ſemper diſtincta remanet à ratione cognitionis in oculo. Cum hoc tamen diuerſitate rectè ſemper conſiſtit idemtitas proportionis: quòd ſcilicet, quemadmodum ſeſe habet oculus ad viſionem, ita Intellectus ad intellectionem. Ex hoc autem ſequitur, viſionem Intellectûs, & viſionem oculi, quæ ſunt duæ res diuerſæ, ita ſignificari analogo nomine viſionis, vt ad viſionē Intellectûs, & ad viſionem oculi, quæ ſecundum ſe diuerſæ ſunt, ſecundum proportionem vniantur: quòd ſcilicet, quemadmodum ſeſe habet viſio oculi ad oculum, ita viſio Intellectûs ad Intellectum. Cum hac tamen idemtitate proportionis ſemper verum eſt, viſionem oculi, & viſionem Intellectûs eſſe duas res, abſolutè diuerſas, & vtramque vnum proprium eſſendi modum conſtituere. Aliud enim abſolutè eſt viſio oculi, aliud viſio Intellectûs: nam illa in viſibilium, hæc in genere intelligibilium collocatur. Fundamentum itaque analogæ ſimilitudinis inter formam informantem, & formam exemplarem, quæ ſub analogo formæ nomine continetur, eſt ipſa, vt ita dicam, ſpecificatio. Nam vtraque induit rei certam formam, & determinatum eſſe, per quod à cœteris, illam certam formam non habentibus, differt. Sicut enim Anima ita dat eſſe animato, vt animatum per Animam à quolibet inanimato diſtinguatur, ſic Idea hominis ita dat eſſe homini, vt homo per Ideam hominis à quolibet non homine ſegregetur. Hæc autem eſt idemtitas proportionis, quâ forma, vniuerſè accepta, cum duabus hiſce formis copulatur. Attamen fundamentum ſimilitudinis

Nõnulla de analogis, acuta, & dilucida.

Fũdamentũ analogæ ſimilitudinis inter formã & Ideam.

dinis

pter non eſt de ratione cauſæ efficientis, vt cauſæ efficientis, imitatio ſpecifica, ſiue formalis, verùm de ratione cauſæ formalis,& exemplaris. Aliud igitur abſolutè cauſa efficiens, aliud forma exemplaris. Quod etiam patet: quoniam ratio Ideæ in hoc maximè conſiſtit, vt ſit principium cognitionis. Cauſa verò efficiens, vt præciſè huiuſmodi, non eſt principium cognitionis, ſed principium operationis. Tunc ſumma ratiocinationis meę ita conficitur. Cauſa formalis, & cauſa efficiens ſunt duę res ſimpliciter diuerſæ. Oportet igitur exemplar vel priùs eſſe cauſam formalem, mox efficientem, vel priùs cauſam efficientem, mox formalem. At Suarez inquit, exemplar eſſe primò, & per ſe cauſam efficientem, non formalem. Ergo ſi Idea eſſet priùs cauſa efficiens, quàm formalis, tunc ſequeretur, Deum priùs res efficere, quàm cognoſcere, quod eſt abſurdiſſimum. Vnde inquit D. Auguſtinus: Deus non aliquid neſciens fecit, quod nec de quolibet homine Artifice rectè dici poteſt. Porrò, ſi ſciens fecit omnia, ea vtique fecit quæ nouerat. Ex quo occurrit animo quoddam mirum, ſed tamen verum, quòd iſte Mundus nobis notus eſſe non poſſet, niſi eſſet: Deo autem niſi notus eſſet, eſſe nō poſſet. Idcircò quòd Græcè Ἰδέα, Idea, Latinè forma nuncupatur, & communis Philoſophorum, ac Theologorum Schola Ideas eſſe formas ſæpe ſæpius affirmat. Ariſtoteles autem enumerans cauſas, cum formali ſimul enumerauit Ideam. Primò itaque, per ſe, & directò Idea eſt cauſa formalis, ſecundariò finalis. Quoniam enim omne agens agit propter finem, oportet, vt primum agens agat propter finem. Et quoniam finis agentis eſt conformitas formæ ad formabile, concepta per Intellectum, & mouens Voluntatem agentis ad eam deſiderandam, & efficiendum: ideò ipſa forma exemplaris eſt cauſa finalis. Sicut enim finis agentis naturalis eſt conformitas formæ ad ſuum formabile, quippe omne agens perfectum agit ſibi ſimile, nō aūt agit ſibi ſimile, niſi per formam, & ideò finis hominis eſt generare hominem: ita etiam finis agentis intellectualis eſt cōformitas formæ ad ſuum formabile. Quod ita explanatur: Agens intellectuale, vt Artifex, per ſe, & directò cognoſcit Ideam, vt Ideam, deinde trahit Idea voluntatem agētis ad eius deſiderium, & ad efficiendam ipſam imitationem. Sic Idea in Intellectu diuino per ſe, & di-

D. Aug. de Ciu. Dei lib. 11. cap. 10.

Ariſt. 2. Phyſ.

Finis agentis conformitas formæ ad formabile.

L rectò

Digitized by Google

ectò eſt Idea; forma ſcilicet ſpecificè imitabilis, & in hoc cauſandi modo non eſt finis, ſed forma, ſecundariè autem vt bonum quidpiam, & res amabiliſſima quodammodo allicit, trahit, mouet Voluntatem Dei ad eius deſiderium, & efficiendam ipſam conformitatem, per creationem videlicet perfecti Ideati, quod perfectum eſt, quum Ideæ conformitatem adipiſcitur. In hoc autem cauſandi modo Idea ſeſe habet vt finis, quoniam finis propriè conſiſtit in metaphorica motione, Idea verò quodammodo trahit, atque allicit diuinam Voluntatem. Neque incongruit, Ideam rationem finis eminentiſſimi habere in ordine ad diuinam Voluntatem, quoniam Idea nil aliud eſt, quàm diuina ipſa Natura, prout à diuerſis Creaturis diuerſâ imitatione imitabilis. Idea quoque in alio ſenſu eſt cauſa finalis, Ideatorum videlicet: quippe res omnes, vt ait D.Thomas, conſtituuntur propter diuinam ſimilitudinem conſequendam, tamquàm propter vltimum finem. Tunc autem vnumquodque diuinam ſimilitudinem conſequitur, quum propriam Ideam participat. Idea igitur ſecundariè ad cauſam finalem pertinet, poſtremò, & reductiuè ad cauſam efficientem. Nam poſtquàm Idea mouet Intellectum agentis ad rem efficiendam, vt bonum quidpiam, & res amabiliſſima, tunc agens intellectuale rem ipſam molitur, & prodit in effectionem. Vnde, quoniam Idea mouens agentis voluntatem, conſtituit agens in actu effectionis, ideò & cauſa efficiens vocatur, & Dionyſ. atque Auguſtinus cauſas effectrices Ideas nuncupârunt.

Idea quodammodo trahit diuinā Voluntatem.

D.Thom. 3. cont. Gent. cap. 19.

D. Dionyſ. de diu. Nomin.
D. Auguſt. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 25.

Argumentis itaque doctiſſimi Suarez hoc pacto reſpondendum erit.

Ad 1. dicitur, tùm Ariſtotelem poſuiſſe cauſam exemplarem, vt iam probauimus, tùm eſſe vnam tantùm cauſam formalem analogicè, exemplarem ſcilicet, & informantem, atque in hoc ſenſu affirmaret Ariſtoteles, ſi tamen affirmaret, quattuor tantùm cauſas inueniri. Abſolutè tamen exemplaris, & informans ſunt duæ cauſæ formales, per ſe diſtinctæ, & hoc non eſſet alienum ab Ariſtotele, ſicut ab eo non eſt alienum, vnam tantùm eſſe cauſam materialem analogicè, plures ſimpliciter, quemadmodum materiam Cœli, & materiam inferiorum, pariterq. vnam tantùm eſſe cauſam efficientem

Cauſa, vna analogicè, plures abſolutè.

cientem analogicè, plures ſimpliciter, quemadmodum cauſam æquiuocam, & cauſam vniuocam. Ad probationem reſpondetur, Suarez aſſumere quod non probat. Idea enim eſt ſpecificè imitabilis, quod Suarez nunquàm præcisè de causâ efficienti probauit: & hoc eſt longè plùs, quam nomine cum forma conuenire.

Ad 2. Negatur maior propoſitio. Idea enim eſt forma, ſpecificè imitabilis: hoc autem non eſt de ratione Artis, vt Artis: & ideò non eſt par ratio. Dicimus tamen, Ideam eſſe cauſam tùm formalem tùm efficientem, ſed illam directò, & per ſe, hanc ſecundariè, & reductitiè. Ad authoritatem Ariſtotelis ex 7. Met. reſpondetur, domum quidem interiorem eſſe cauſam domûs exterioris, ſed non vt efficientem dumtaxat, quod infert Suarez. Eſt quidem efficiens, ſed reductitiè; eſt forma, & hæc directò, quod conſentaneum Ariſtotelis doctrinæ. *Idea eſt forma, ſpecificè imitabilis.*

Ad 3. reſpondetur, formam nō complere tantùm modum agentis, ſed reduci directò ad cauſam formalem, vt dictum eſt.

Eius rationibus, quibus probat, Ideas non pertinere ad cauſam finalem, ſatisfit, dicendo, eum ſolùm probare, Ideam non ſpectare primò, & per ſe ad cauſam finalem, quod nos haud negamus, ſed iam affirmauimus.

CAPVT IX.

Intellectum diuinum directa cognitione Ideales reſpectus conſtituere.

IN hac diſceptatione duo potiſſimùm animaduertere oportet, quorum alterum, cauēdum eſſe, ne Deus Eſſentiā ſuam aliter, quàm ſit, intueatur: alterum verò neceſſariò ponendos eſſe Ideales reſpectus. Quod ſpectat ad primum, conſtat, Naturam diuinam eſſe certiſſimam Formam, ſimpliciſſimū Actū, abſolutiſſimam Subſtātiam, ita vt quidquid in Deo eſt, Dei ſit ipſa Eſſentia, & Natura. Propterea cogitandum non eſt, aliquem reſpectum formaliter, ſiue actu, in Deo reperiri: alioquin ſecundum propriam rationem, nempe ſecundum eſſe accidētis in Deo inueniretur, nec poſſet cogitari, quomodo non fieret aliqua Entium aggregatio, quum reſpectus huiuſmodi foret Ens rationis, Natura verò diuina Ens abſolutiſſimum *Natura diuina certiſſima Forma, abſolutiſſima Subſtantia.*

L 2 reale.

reale. Quod ſpectat ad ſecundum, palàm eſt, Naturam diuinam, vt vnum ſimpliciter abſolutum, eſſe vnam ſimpliciſſimam Ideam. Nam vt rectè ait Caietanus, in diuinā eſſentiā abſolutum, imitabile ab homine, non diſtinguitur ab abſoluto imitabili à Leone. Idcircò, ſi formalis Ratio Ideæ in hoc tantùm conſtitueretur, vt ſolam diuinam Naturam ſignificaret, Ideas eſſe plures dici non poſſet. Quamobrem, vt Ideas plures eſſe affirmemus, oportet, eas per varios reſpectus intrinſecè diſtingui, iſti verò ſunt reſpectus ad Creaturas. Propterea D. Thomas ſic ait. Idea de ſuo principali Intellectu habet aliquid præter Eſſentiam, in quo etiam completur formaliter Ratio Ideę. Hinc patet error Valentiæ, & Vaſquez, qui aſſerunt, plures eſſe reſpectus Ideales, non intrinſecè, ſed extrinſecè, non quò ad Intellectum Dei, ſed quò ad Intellectum Viatoris.

D. Thomas art. 2. de Ver.

Quum igitur diuina ipſa Natura ſit omninò abſoluta, & ideò nullum formaliter, ſiue actu reſpectum contineat, reſpectus verò ad conſtitutionem Idearum neceſſariò exigatur, fateri oportet, nullum formaliter, ſiue actu reſpectum eſſentialem in Deo inueniri, ſed plures tantùm inueniri ſecundùm virtutem, plusquàm æquipollentem. Solæ enim reales illæ ſunt, quæ diuinas perſonas conſtituunt. Eſſentia itaque diuina, & reſpectus ad Creaturas, formaliter, & actu ſunt vnum, & idem. Sed quoniam diuina Natura omnem eſſendi modum ſupereminenter continet, ideò in ſuo illo abſolutiſſimo eſſendi modo vtrumque modum tàm relatiuum, quàm abſolutum cōprehendit, & propter ſuperexcedētem omnia continendi perfectionem ita perfectè modum relatiuum continet per modum vnius abſolutiſſimi, ab eodem abſolutiſſimo virtute diſtinctum, vt magis perfectè ſecundum virtutem diſtinctum, ſit, quàm ſi eſſet actu diſtinctiſſimum. Quoniam autem Deus perfectiſſimè intelligit, & eius Eſſentia eſt virtute diſtinctiſſima, prout diſtinctiſſimè imitabilis, oportet, vt Eſſentiam ſuam diſtinctiſſimè imitabilem intelligat. Perfectiſſimè verò non intelligit, niſi vnico intuitu. Quapropter diuinus Intellectus vnico directo intuitu cognoſcit Eſſentiam, vt Eſſentiam, atque vt diſtinctiſſimè imitabilem. Quid eſt autem cognoſcere Eſſentiam, vt diſtinctiſſimè imitabilem, niſi varios reſpectus conſtituere? Siquidē nil aliud eſt reſpectus ad Creaturas, quàm ipſa ratio

Sola Relationes reales, quæ diuinas Perſonas conſtituunt.

Reſpectus ad Creaturas eſt ipſa Ratio imitationis.

Digitized by Google

ratio imitationis. Quapropter non eſt exiſtimandum, Deum Naturam ſuam directò cognoſcere, vt ſimilitudinem Creaturarum, deinde ſuper ipſam reflecti, eam Creaturis comparare, atque hoc pacto Ideales reſpectus conſtituere. Neque exiſtimandum eſt, ſi propriè loquamur, Ideales reſpectus vel antecedere diuinam cognitionem, vel conſequi, ſed verè ab eâ cõſtitui. Non enim Deus, vt rectè ait Caietanus, priùs intelligit Eſſentiam, vt imitabilem, deinde format reſpectus, ſed vna, & eadem Intellectio Eſſentiæ, vt imitabilis, eſt conſtitutio reſpectuum Idealium. Quamobrem, quum Intellectus Dei actu ſemper intelligat, & diuina Eſſentia ſit perfectiſſimum obiectum, abſtrahens, vt dictum eſt, tùm à Specie intelligibili, tùm à Verbo, obiectum verò, vt obiectum, ſit terminus intellectionis, & ideò importet Intellectum actu intelligentem, ex hoc ſequitur, Intellectum diuinum, intelligendo Eſſentiam diſtinctiſſimè imitabilē, plures quoque Ideales reſpectus vno, & eodem inſtanti, vno, & eodem incommutabili contuitu, quatenus virtute diſtinctiſſimos, conſtituere, & vnum, atque idem hæc tria eſſe, comparare Eſſentiam ad Creaturas, Ideam in ſuâ formali ratione Eſſentiam, & reſpectus comprehendere, & Eſſentiam per virtutem pluſquàm æquipollentem, diſtinctiſſimè imitabilem.

Sed Radda, nouiſſimus Scoti Aſſecla. cont. 29. concl. 3. hanc ſententiam, pluribus Argumentis, à Scoto depromptis, labefactare conatur, quorum duo tantùm in medium afferamus.

I. Argumentum. Ratio intelligendi priùs eſt ſimilitudo rei, habens reſpectum ad rem, quàm intelligatur. Sed reſpectus ad Creaturas ſunt in diuinâ Eſſentiâ, vt rationes cognoſcendi, quemadmodum ipſi D. Thomæ Sectatores fatentur. Ergo priùs habent eſſe, quàm intelligantur: ergo per actum diuini Intellectûs comparatiuum non conſtituuntur. *Ratio intelligēdi priùs eſt ſimilitudo rei, quàm intelligatur*

Reſpondetur, & negatur aſſumptum de Ratione intelligendi exemplari, ſiue Ideâ. Etenim de Ratione Ideæ illud ſit, vt ipſa obiectum ſit: & Ratio intelligendi, exemplariter imitabilis, nō eſt, niſi obiectum Intellectûs, vt rectè adnotat Caietanus. Idcircò, licèt Natura diuina, vt Ratio intelligendi, ſit priùs ſimilitudo rei, quàm intelligatur, non tamen eſt ſimilitudo rei exemplaris, priùs quàm intelligatur.

Qua-

Digitized by Google

Quamobrem, ſi Deus non eſſet agens per Intellectum, ſed per Naturam, diuina Eſſentia foret quidem omnium rerum ſimilitudo, ſed non tamen Idea: quoniam ſcilicet de ratione Ideæ eſt intelligi exemplariter. Et ideò non ſequitur, priùs eſſe reſpectus ad Creaturas, quàm intelligantur. Licèt enim ſint in diuina Eſſentiâ, vt Ratione intelligendi; attamen ſunt in Ratione intelligendi exemplari. Proinde per actum diuini Intellectûs comparatiuum conſtituuntur.

Duplex ratio intelligendi, Non exemplaris, & Exemplaris.

II. Quod eſt ita illimitatum ad plura poſitiua, vt adeò benè ſit illimitatum ex ſe ad quodlibet illorum, ac ſi eſſet ſingulare ad ſingularia limitatum, non indiget aliquo, ſe ipſum determinante, vt quodlibet eorum, quæ reſpicit, efficere poſſit. Exemplum Sol eſt, qui ad producendum tùm equum, tùm plantam illimitatus, quoniam tam equum, quàm plantam producere poteſt, cum hac indeterminatione, eam tamen determinationem nanciſcitur, vt ex ſe determinatus ſit tùm ad plantam, tùm ad equum efficiendum, ac ſi eſſet agens ſingulare, natum ſolùm producere vel equum, vel plantam. Ideò Sol non exigit, per aliquid in ipſo Sole exiſtens determinari ad efficiendum vel equum, vel plantam, ſed ex ſe ipſo ſufficienter determinatus eſt. Verũ diuina Eſſẽtia eſt Ratio cognoſcẽdi ita illimitata ad plura obiecta, vt adeò benè ſit illimitata Ratio cognoſcẽdi quodlibet obiectum, ac ſi eſſet determinata particularis Ratio cognoſcẽdi quodlibet obiectum particulare: Ergo non indiget aliquo reſpectu ad Creaturas, determinante ipſam ad particularem huius, vel illius cognitionem, ſed ex ſe ſufficienter determinatur: & hoc pacto non dantur Ideales reſpectus.

Illimitatũ æquipollenter limitatur.

Reſpondetur, quod eſt illimitatum æquipollenter limitatum, eſſe quidem limitatum ex ſe tantùm, quod haud negamus. Sed eſſe limitatum æquipollenter ex ſe tantùm, duobus modis intelligi poteſt, vel per vnicam actiuam virtutem, vt eſt præciſè vna, vel per vnicam actiuam virtutem, vt eſt æquipollenter multiplex. In primo ſenſu negamus: quoniam, vt huiuſmodi, non eſt æquipollenter multiplex: ergo nec poteſt multos effectus producere. In ſecundo ſenſu affirmamus: quoniã intelligi nõ poteſt, multiplices effectus fieri, niſi à multiplici virtute, ſaltẽ ęquipollẽter. Sic igitur Sol indeterminatus tùm ad plantã, tùm ad equum producendũ, ex ſe quidẽ tantùm

deter-

Digitized by Google

determinatur vel ad equum, vel ad plantam efficiendam. Sed quæro: Quomodo ex ſe tantùm? Quum enim ad agendum virtus actiua requiratur, efficitnè Sol plures effectus, vt plantam, & equum, propter ſuam actiuam virtutem, vt eſt præcisè vna, vel vt eſt æquipollenter multiplex? Si vt eſt præcisè vna: ergo per virtutem ſuam plures effectus, vt equum, & plantam, non producit: quoniam virtus ſua, vt huiuſmodi, non eſt æquipollenter multiplex, & ideo neque hominem, neque equum producere poteſt. Supereſt igitur, vt agat per virtutem ſuam, æquipollenter multiplicem, id eſt, formaliter vnam, ſed particulares effectus producendi particulares virtutes comprehendentem. Sic itaque Eſſentia diuina ex ſe tantùm eſt ratio cognoſcendi plura obiecta, actu in ſe ipsâ illimitata, æquipollenter limitata. Ex ſe, inquam, dũtaxat: quoniam reſpectus ad Creaturas formaliter, ſiue actu ſunt vnũ, & idem cum diuinâ Naturâ: & ideò non rectè innuũt Scotus, & Radda, reſpectũ ad Creaturas ſecundum D. Tho. opinionem aliud eſſe, quàm ipſam diuinam Naturam, quod Intellectum Dei ad ſingularia determinet. Verùm diuinam Naturam ex ſe tantùm eſſe rationem cognoſcẽdi plura obiecta, hoc duobus modis intelligi poteſt, vel vt eſt præcisè vna, vel vt eſt multiplex per virtutem plusquàm æquipollentem. In primo ſenſu negamus: quoniam, vt huiuſmodi, eſt illimitata; ratio verò aliquam rem diſtinctè cognoſcendi, illius propria eſſe debet, atque ad illam determinata: & ideo ratio cognoſcendi illimitata, vt ſit æquipollenter limitata, neceſſe eſt ab aliquo determinari. Concipi autem non poteſt, diuinam Naturam, vt rationem cognoſcendi illimitatam, eſſe vnâ limitatam, niſi virtute plusquàm æquipollente determinetur, & ideò oportet, eam ab eminentiſſimâ virtuali multiplicitate determinari. Quatenus verò eſt virtute multiplex, à diuino Intellectu concepta, multa repræſentat, quæ diuinam Eſſentiam imitantur: hæc autem varietas imitationum eſt uarietas reſpectuum, & varietas reſpectuum varietas Idearum.

Eſſentia diuina ratio cognoſcendi plura obiecta.

Diuina Natura indeterminata virtute plusquã æquipollẽte determinatur.

Ad alia argumenta, quibus probat, ſi darentur reſpectus, vel concedi oportere quid aggregatum ex Ente rationis, & Ente reali, vel actum comparatiuum eſſe reflexum, & ideò ſuperuacaneum, vel priùs cognoſci Eſſentiam, vt imitabilem.

ſem, deinde formari Ideales reſpectus, ſatis ex dictis patet reſponſio.

CAPVT X.

Scotum in opinione Idearum à D. Thoma non diſſentire, ſi profundè intelligatur.

EA opinio à Caietano, Bañes, alijſq; D. Thom. ſectatoribus Scoto tribuitur, quam re verâ Scotus, Theologiæ noſtrę lumen, & apex, non affirmauit. Opinio, quæ tribuitur, huiuſmodi eſt. Ideæ non ſunt ipſa diuina Eſſentia, verum Creaturæ ſecundum proprium eſſe, à diuino eſſe diſtinctum, in eſſe cognito, & diminuto productæ. Vide potiſſimùm Caietanum, & Bañes.

Caiet. 1. p. q. 14. art. 5. & alibi: Bañes q. 14. atq; alijs pluribus in locis.

Verumtamen, vt Scoti ſententiam explanemus, animaduertere oportet, Deum ſecundum Scotum in propriâ Eſſentiâ Creaturas intelligere. Nam ipſe hæc protulit. Sed non ſic, ſi cognoſcatur præcisè in illo, ſicut Intellectus diuinus præcisè cognoſcit Creaturam in Eſſentiâ ſuâ, & non per vllam Creaturam, vt obiectum immediatum, quia tunc Intellectus eius viuleſceret. Latè docet etiam Scotus, Creaturas cognoſci in diuinâ Naturâ, vt in primario mouente. Ex prima authoritate colligitur: Si Deus cognoſcit Creaturas præcisè in diuinâ Eſſentiâ, ergo non cognoſcit, vt in ſe ipſis. Ex ſecundâ verò colligitur: Si Deus cognoſcit Creaturas in Eſſentiâ ſuâ, vt in primario mouente, ergo cognoſcit illas in ſuâ Eſſentiâ, vt in primario mouente ad earum cognitionem. Alios locos, & ſententias Scoti vide apud Raddam. Cæterùm, licèt aſſerat Scotus, Creaturas in diuinâ Eſſentiâ, vt præcisè obiecto immediato, ſiue vt primario mouente, cognoſci, cum hoc tamen rectè ſeſe habet, vt eas in ſe ipſis videri Scotus affirmet. Quamobrem adnotandum eſt, Creaturas à Deo cognoſci, duobus modis intelligi poſſe. Primò quò ad ſolùm eſſe, quod habent in diuinâ Naturâ, & hoc negat Scotus. Etenim ſi Deus diuinum tantùm eſſe cognoſceret, Creaturas non cognoſceret. Probatur: quia cognoſcere Creaturas quo ad ſolum eſſe, quod habent in diuinâ Naturâ, nil aliud eſt, quàm diuinum eſſe cogno-

Scotus in quodlib. q. 16

Idē in quodlib. q. 14. ar. 2

Radda cōc. 29. art. 2.

Duplex eſſe Creaturarū in Deo.

gnoſcere: nam eſſe rerum in Deo eſt eſſe diuinum. Secundò non ſolùm quò ad eſſe, quod habent in diuinâ Naturâ, ſed quò ad eſſe, quod habet quælibet Creatura in ſe ipſâ, quatenus in ſe ipſâ perfectè repræſentatur per diuinam Naturam, omnium rerum, prout in ſe ipſis ſunt, expreſſam ſimilitudinem, perfectiſſimumq; ſpeculum, & exemplar. Quemadmodum enim, ſi Leonis ſimilitudo in ſpeculo quidquid ſpectat ad Leonem, & eſſe particulare Leonis, prout in rerum Naturâ conſiſtit, perfectè exprimeret, qui Leonis ſimilitudinem videret, in hac etiam ſimilitudine Leonē, vt in ſe ipſo eſt, intueretur, ita Intellectus Dei, videns Eſſentiam ſuam, prout à Creaturis imitabilem, quia Eſſentia Dei eſt omnium Creaturarum perfectiſſima ſimilitudo, dum videt ſuam Eſſentiam, in illâ quoque, non ſecus ac perfectiſſimâ ſimilitudine, Creaturas quò ad eſſe illarum proprium in rerum Naturâ diſtinctiſſimè intuetur. Idcircò ait Propheta: Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto, & ſubſtantia mea in inferioribus terræ. Et in hoc ſenſu ait Scotus, Creaturas ſecundum proprium eſſe à Deo cognoſci. At Creaturas ſecundum proprium eſſe cognoſci duobus adhuc modis intelligi poteſt. Vel vt eſſe Creaturarum ſit ab eſſe diuino diſtinctum, vel vt ſit diſtinctum ſecundum virtutem pluſquàm æquipollentem. Non primum: quoniam quidquid eſt in Deo, idem eſt, quod Deus, vt affirmat D. Anſelmus in hæc verba: In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio. Et communis Damaſceni, Auguſtini, omniumq; Patrum ſententia id etiam teſtatur, qui omnia eſſe vnum in diuinis affirmat, præter ingenerationem, generationem, & proceſſionem. Aſſerendum itaque, eſſe diuinum ab eſse Creaturarum ſegregari ſecundum virtutem pluſquam æquipollentem, id eſt, diuinum eſse propter ſuperexcedentem, quâ omnem eſsendi modum continet, perfectionem, magis perfectè proprium Creaturarum eſse repræſentare, quàm ſi eſset actu diſtinctum ab eſse diuino; Creaturæ verò ſecundum proprium eſse præciſè, & ſimpliciter viderentur. Hoc autem fuit proprium eſse Creaturarum, quod Scotus ponit in Deo. Cæterùm hoc proprium eſse Creaturarum, ſic intellectum, quid eſt aliud, niſi diuina Eſsentia, vt expreſsa Creaturarum ſimilitudo, ab eis diuerſâ imitatione

Pſal. 138.

D. Anſ. li. de proceſ. Spir. S. cap. 3.

Digitized by Google

imitabilis? Nam huiuſmodi proprium eſſe Creaturarum nil aliud eſt ſecundum Scotum, quàm eſſe repræſentatum Creaturarum, quod in Eſſentiâ diuinâ conſpicitur. Imitabilitas verò exemplaris Eſſentiæ diuinæ, obiecta diuino Intellectui, ſecundum D. Thomam, quid eſt aliud, quàm eſſe repræſentatum Scoti? Equidem eſſe cognitum Scoti nil aliud eſt, quàm eſſe intelligibile D. Thomæ. Probatur: quoniam de ratione

De ratione Ideæ eſt obiectum eſſe. Intellectus.

Ideę eſt eſſe obiectum Intellectûs, & ideò, quum Deus intelligit ſuammet Eſſentiam, vt exemplariter imitabilem, quemadmodum ait D. Thomas, hoc nil aliud eſt, quàm Creaturas in eſſe cognito producere, quemadmodũ ait Scotus. Sicut enim lapis viſus per viſionem eſſe viſibile, ita lapis intellectus per

Scotus in 1. diſtin. 36.

intellectionem eſſe intelligibile adipiſcitur. Dicit profectò Scotus, eſſe cognitum Creaturæ neque eſſe Ens rationis, neque Ens reale, ſed eſſe diminutum, & mediũ inter vtrumque. Dicit, ſolum Ens reale non eſſe: quia, vt dictum eſt, ſolum eſſe haberet, quod habet in diuinâ Naturâ, & ideo nil aliud eſſet, quàm eſſe diuinum, & hoc pacto non ipſum, at diuinum eſſe Deus cognoſceret. Hoc autem eſt, quod ait D. Thomas, Ideam ſolam Eſsentiam non ſignificare, alioquin, vt ait Caietanus, non eſſent plures Ideæ, quoniam abſolutum diuinum, imitabile ab homine, non diſtinguitur à diuino abſoluto, imitabili à leone. Dicit inſuper Scotus, ſolum Ens rationis non eſſe: quoniam quidquid in Deo eſt, Dei Subſtantia eſt, & ideò Ens abſolutiſſimum reale. Et hoc eſt, quod ait D. Thomas, Ideas non eſſe tantùm reſpectus ad Creaturas, ſed ipſam diui-

Eſſe repræſentatũ rei eſſe diminutum.

nam Naturam. Dicit vlteriùs, Ens diminutum eſse medium inter vtrumque. Medium ſanè: quoniam includit Eſsentiam diuinam, quod eſt ens reale abſolutiſſimum, & includit imitabilitatem Creaturarum, quæ ſeſe habet vt Ens rationis, quum nil aliud ſit, quàm relatio ad Creaturas, vt Deum variè imitantur. Ens diminutum vocat: quoniam eſse repræſentatum rei eſt eſse diminutum. Sed hoc duobus modis intelligi pôt, ſiue in ratione Entis repræſentati, ſiue vt diſtinguitur ab eſse ſimpliciter in rerum Naturâ. Non in primo ſenſu: quippe, vt ait Scotus, ſi Cæſar eſset annihilatus, & tamen eſset ſtatua Cæſaris, Cæſar eſset repræſentatus per ſtatuam: & illud eſse repræſentatum non eſt eſse diminutum, quaſi ali-

quid

quid Cæſaris repræſentet, aliquid non repræſentet. Sed quia totum Cæſarem repræſentat, ideò Ens repræſentatum Ens diminutum appellari non poteſt. In ſecundo autem ſenſu Ens diminutum iure vocatur: quoniam proprium eſſe Creaturarum eſt tantùm proprium eſſe in eſſe repræſentato, non autem in eſſe abſoluto: quippe illud proprium eſſe non eſt, quod Creaturæ ſolùm abſolutè obtinent in rerum Naturâ. Homo enim Idealis Ens diminutum vocatur, quatenus non eſt homo carne, oſſibuſq; indutus, ad eius ſimilitudinem factus. Et in hoc ſenſu intelligendus Scotus, dum inquit: Homini in æternitate ineſt nõ eſſe aliquid, & Chimeræ non eſſe aliquid. Scotus enim haud negat, hominem proprium eſſe habere, & ideò affirmat, illud eſſe in Deo nanciſci, quod eſt eſſe repræſentatum; ſed negat proprium eſſe abſolutum habere, quod ipſe vocat eſſe eſſentiæ, ſiue exiſtentiæ, nos liquidò diceremus in rerum Naturâ. Ponit denique Scotus in Deo duo inſtantia originis. In primo Deus cognoſcit ſuam Eſſentiam ſub ratione merè abſolutâ, & ideò in hoc primo inſtanti Creaturas non cognoſcit. In ſecundo autem inſtanti producit lapidem in eſſe intelligibili, & intelligit lapidem. Hoc autem illud eſt, quod ait D. Thomas, diuinam Naturam eſſe obiectum primarium, Creaturas ſecundarium, vel Creaturas non eſſe diuinam Naturam, ſed vt exemplariter imitabilem. Quomodo autem communis Theologorum ſententia intelligenda ſit, in 6. capite explicauimus.

Homini quomodo in æternitate ĩ. eſt non eſſe aliquid.

CAPVT XI.

De diſtinctione rationis, & ex Natura rei, quatenus in diuinis perfectionibus conſiderantur, nullam eſſe diſcrepantiam inter D. Thomam, & Scotum.

Diximus in præteritâ D. Thomæ, & Scoti conciliatione, proprium eſſe Creaturarum ſecundum Scotum, ſiue Ideales reſpectus ſecundum D. Thomam, virtute pluſquam æquipollente inuicem diſtingui. Hoc autem in dubium reuocatur: quoniam perfectiones diuinę, vt ait D. Thomas, ſolùm ſecundum rationem, vt verò ait Scotus, formaliter ex Naturâ rei diſtinguuntur. Plurimum autem intereſt inter diſtinctionem rationis, diſtinctionem ex Naturâ rei, & di-

Triplex diſtinctio, rationis, ex natura rei, & virtutis.

ſtinctionem virtualem plusquàm æquipollentem. Illa enim fit ſolùm per Intellectum, hæc penè realis, poſtrema nec fit per ſolum Intellectum, nec realiter diſtinguit. Quamobrem, quum Ideales reſpectus tamquàm perfectiones diuinæ ſeſe habeant, & ex ſententiâ D. Thom. ſecundum rationem, ex ſententiâ Scoti formaliter ex naturâ rei diſtinguantur, manifeſtè videtur, ſecundum illorum opinionem non diſtingui virtute plusquàm æquipollente. Propterea neceſſe eſt vtriuſque Theologi ſententiam de diſtinctionibus Rationis, & ex naturâ rei quàm breuiſſimè pro viribus explicare. Admoneo tamen, me loquuturum de illâ tantùm diſtinctione, quæ ab eis collocatur in perfectionibus diuinis, non autem vniuersè de qualibet diſtinctione Rationis, & ex rei Naturâ. Nolo enim diſceptationum de Ideis limites pertranſire.

Perfectiones diuinæ variè à varijs nũcupãtur.

Adnotandum igitur, D. Thom. & Scotum in eo apertiſſimè conueniri, vt diuinæ perfectiones, quemadmodum Sapientia, & Bonitas, quæ ab Algarele deſignationes, ab Auicennâ proprietates, ab Auerroë diſpoſitiones, à D. Dionyſio appellationes, diſcretæ vniones, & beneficæ proceſſiones, à Theologis attributa vocantur, re ipsâ diſtinctæ non ſint, ſed omnes ſint vnum: quoniam ſcilicet nulla eſt realis diſtinctio in Eſſentiâ, ſed in Perſonis dumtaxat, quemadmodum omnes Patres, & Theologi tàm Græci, quàm Latini vnanimes fatentur. Idcircò D. Thom. verba faciens de diuinis perfectionibus, hæc pronunciauit: Et ſic quæ diuerſa, & oppoſita in ſe ipſis, in Deo præexiſtunt vt vnum abſque detrimento diuinæ ſimplicitatis. Et in libro de Ente, & Eſſentiâ ita loquitur: Sed habet eas modo excellentiori omnibus rebus, quia in eo omnes vnum ſunt. Idem etiam aſſerit Scotus, ac manifeſtè dicit, perfectiones diuinas in Deo identicè contineri propter infinitatem formalem continentis, & in reſponſione ad 3. affirmat, diuinam tàm Bonitatem, quàm Sapientiam eſſe vnum, & idem, in hæc verba: Ad 3. concedo, quòd ratio Sapientiæ eſt infinita, & ratio Bonitatis, & ideò hæc ratio eſt illa per idẽtitatem. Sed hæc vtriuſque Theologi ſententia meridianâ luce clarior vel mediocriter initiatis vtriuſque Theologiæ.

D. Tho. 1. p. q. 4. art. 2.

Scotus lib. 1. d. 8. q. 111.

Dixit itaque D. Thom. Perfectiones re ipsâ non diſtingui,

& ideò

Digitized by Google

Oís diſtinctio vel realis, vel rationis.

& ideò concipiens neceſſariam aliquam diſtinctionem, quæ realis non eſſet, quum omnis diſtinctio vel ſit realis, vel rationis, eas tum ab Eſſentiâ diuinâ, tùm inuicem ratione diſtingui affirmauit. Sed rationis diſtinctio duobus modis intelligi poteſt, vt etiam D. Thomæ ſectatores fatentur, vel vt ſit ratio ratiocinans, vel vt ſit ratio ratiocinata. Ratio ratiocinans ea eſt, quâ Intellectus, nullâ ſuppoſitâ in Deo ipſo diſtinctione, diuinas perfectiones diſtinguit. Hoc autem dici non poteſt. Etenim quum Deus intelligit ſuam Bonitatem, & Sapientiam, vel intelligit vt obiecta, ſuapte naturâ diſtincta, vel vt vnum, ſuapte naturâ indiſtinctum. Si primum: ergo non intelligit ſeipſum prout eſt ſapiens Sapientiâ, nõ Bonitate. Confirmatur, quia concipit ſuam Bonitatem, & Sapientiam, vt ſunt vnum obiectum, omninò indiſtinctum. Si poſtremum: ergo intelligit ſuam Bonitatem, & ſapientiam, vt obiecta, ſuapte naturâ diſtincta, & hoc pacto attributa ſolâ ratione ratiocinante non diſtinguuntur. Aduerſus hanc diſtinctionem omnia Scoti Argumenta vim habent, ſed non habent aduerſus D. Thom. quippe qui non aſſerit, ratione tantùm ratiocinante diſtingui, ſed ratione ratiocinatâ. Hæc autem ea diſtinctio eſt, ob quam diuina Natura, vnum ſecundum ſe, & identicè indiſtinctum, intelligitur ſecundum plures rationes ratiocinatas, id eſt, plures conceptus, in ipſâ Dei Naturâ fundamentaliter eminenter conſiſtentes, in multiplices perfectiones diſtingui. Et in hoc ſenſu, vel aſſerat D. Thom. per Intellectum diuinum, vel per Intellectum creatum diuinas perfectiones diſtingui, exponendum eſt ſecundum rationem ratiocinatam, id eſt, ſecundum multiplices conceptus, in ipſâ Dei Naturâ fundamentaliter eminenter conſiſtentes. Cæterùm hæc diſtinctio ſecundum rationem ratiocinatam duobus adhuc modis intelligi poteſt; vel vt pfectiones formaliter quidditatiuè, & actu ſecundum eam diſtinguantur, quod abſolutè negandum eſt, quia, vti diximus, quidquid eſt in diuinâ Eſſentiâ, eſt idem omninò cum eâ, & ideò eſt vnum ſimpliciſſimum, actu indiſtinctum; vel ſecundum rationem ratiocinatam, non formaliter formalem, ſed virtualem plusquàm æquipollentem diſtingui, hæc autem germana eſt D. Thomæ ſententia. Etenim S. Thomas deprompta ſimilitudine ex D. Dio-

[illegible] perfectiones diuinæ ratione ratiocinata diſtinguũtur.

Ratio ratiocinãs, nõ formaliter formalis, ſed formalis eminenter.

Digitized by Google

D.Tho.1.p.q.4.art.2.in reſponſ. ad primum.

Dionyſio de diu. Nom. affirmat, ita ſeſe habere perfectiones in Deo, quemadmodum qualitates in Sole. Sed omnia, quæ in rebus actu diſcreta ſunt, in Sole eminenter vniuntur, vt calor, ſiccitas, & huiuſmodi. Quippe Sol eádem luce illuminat, calefacit, exſiccat: cætera verò, vt ignis, luce illuminant, calore calefaciunt, ſiccitate exſiccant. Quapropter (inquit) Sol Græcè Ἥλιος appellatur, quod congregabilia reddat omnia, concilietq́; diſperſa. Sol autem omnia vnitiuè ita continet, vt ea tamen virtute, ſed virtute omni actuali diſtinctione æquipollente, diſtinguantur. Licèt enim idemticè lux, calor, & ſiccitas non diſtinguantur, attamen ſecundum virtutem eminentem aliud eſt calor, aliud lux, aliud ſiccitas: alioquin nihil præcisè vel ſiccum, vel calidum, vel luminoſum fieret. Confirmatur: quoniam multiplices deriuationes, ſiue profuſiones fontanæ, vt ita loquar cum D. Dionyſio, illimitatæ, & eminentis Naturæ concipi non poſſunt ab alio prouenire, niſi à multiplici eminentiſſimá virtuali diſtinctione. Nam ſi prouenirent ab alio, vt eſt præcisè vnum, iam plura non eſſent plura, ſed vnum: quoniam vnum, vt præcisè vnum, non eſt æquipollenter multiplex: ergo nec poteſt multiplices effectus producere. Omnia igitur in Sole iuxta D. Thom. vniformiter ſecundum virtutem pluſquàm æquipollentem præexiſtunt. Ergo & omnes perfectiones in Deo ex ſententiá D. Thom. multò magis vniformiter ſecundum virtutem pluſquàm æquipollentem præexiſtunt. Nonnulla de hac diſtinctione dicta ſunt ſuprà.

Vnũ, vt præcisè vnum, nõ eſt æquipollẽter multiplex.

Cap 5.

Quum autem Scotus ait, diuinas Perfectiones formaliter ex Naturá rei diſtingui, nil aliud aſſerit, niſi quod aſſerit D. Thomas, eas videlicet inuicem, & ab Eſſentiá diuiná ſecundum virtutem pluſquàm æquipollentem diſtinctas eſſe. Scotus enim exponens dictum illud Damaſceni, diuinum eſſe Pelagus eſſe infinitæ Subſtantiæ, dicit perfectiones in hoc diuino Pelago non ſolùm idemticè contineri propter infinitatem formalem continentis, ſed modo eminentiori, quo poſſibile eſt, virtualiter, vt in primá cauſá vniuerſaliſſimá: & ideò inquit: Itaque habet infinitatem formaliter primariam, vniuerſaliter cauſalem, & virtualiter contentiuam, & ideò Pelagus, ita continens omnes, ſicut poſſunt eminentiſſimè in vno ali-

Scotus lib.1. diſ.8.q.111.

quo

quo formaliter contineri. Diſtinctio itaque attributorum ſecundum Scotum formalis, ex rei Naturâ non eſt formalis formaliter, ſed formalis eminenter, & virtualis plusquàm æquipollens, vt nos libentiùs vocare conſueuimus ad omnem difficultatem remouendam. Vocatur formalis eminenter: quoniam id omne efficit propter ſuperexcedentem diuinam perfectionem, quod efficeret ſi eſſet formaliter formalis. Dicitur ex Naturâ rei, vt duo innuat Scotus, primum, non eſſe diſtinctionem rei à re, ſed virtualem plusquàm æquipollentem: ſecundum, in Deo ipſo fundamentaliter eminenter conſiſtere. Et in hoc ſenſu verum eſt, quod ait Scotus, rationem Bonitatis formaliter non eſſe rationem Sapientiæ, quum tamen verum ſit, vt idem Scotus ait in reſponſione ad 3. rationem, Sapientiæ, & rationem Bonitatis eſſe infinitas, & ideò hæc ratio eſt illa per idemtitatem.

Ratio diuina Bonitatis non eſt ratio Sapiẽtia.

Ex his, quæ dicta ſunt, ſatis conſtat, proprium eſſe Creaturarum ſecundum Scotum, & Ideales reſpectus ſecundum D. Thom. virtute, plusquàm æquipollente diſtinctos eſſe. Quum enim ſecundum vtrasque actu, & re ipſâ non diſtinguantur, ergo vel diſtinguuntur ratione, vt ait D. Thom. vel ex Naturâ rei, vt ait Scotus. At diſtinctio tùm rationis, tùm ex Naturâ rei ſecundum vtroſque in his, quæ pertinent ad Eſsentiam diuinam, eſt diſtinctio virtutis pluſquàm æquipollentis. Supereſt igitur, Ideas ſecundum vtroſque virtute pluſquàm æquipollente diſtinctas eſse.

CAPVT XII.

Nonnullæ dubitationes aduerſus D. Thomæ, & Scoti conciliationem ſoluuntur.

ADuerſus allatam conciliationem nonnullæ quoque difficultates emergunt.

Prima eſt. Scotus omninò reijcit Ideales reſpectus, qui à D. Thoma ponuntur. Ergo diſſidet à D. Thomâ.

Scotus lib. 1. diſt. 35. Idẽ in eadẽ diſtinct.

Secunda eſt. Scotus negat, Deum reſpectus habere ad Creaturas, Thomas aſserit. Non igitur concordes.

Quòd ſpectat ad primã, facilis reſpõſio: Scotus negat Ideales reſpe-

reſpectus, vt quid diſtinctum ab eſſe diuino, vel vt productos per actum reflexum diuini Intellectus, vel vt priores diuinā intellectione. Nullum autem horum, vt dictum eſt, à D. Thomā aſſirmatur. Quapropter lis eſt in verbis, non in ſententijs.

Quod ſpectat ad ſecundam, reſpondetur, legitimam dubitandi rationem eſſe: quòd ſcilicet Scotus affirmat reſpectus tantùm Creaturarum ad Deum, non autem Dei ad Creaturas: at D.Thom. affirmat reſpectus Dei ad Creaturas. Verumtamen hîc quoque adnotandum eſt, quum dicitur, Eſſentiam diuinam reſpectum habere ad Creaturas, reſpectum duobus modis intelligi poſſe, vel vt ſit realis, vel vt æquipollens reali. Primus ſenſus tùm à D. Thomā, tùm à Scoto negatur. Quum enim Eſſentia diuina in ſe ipſā, vt dictum eſt, ſit abſolutiſſima, ideò realiter non eſt relatiua, verùm ad eam, prout rem abſolutiſſimam, Ideata ſolùm referuntur: Nam Ideata habent relationem realem intrinſecam, quoniam ſcilicet in rerū Naturā ita exiſtunt, vt intrinſecè ad Deum ſeſe habeant, referantur, ordinentur. Deus autem non habet relationem realem ad Creaturas, quia in ſuā reali abſolutiſſimā Naturā, tamquàm in abdito ſuæ Diuinitatis receſſū ſeſe contegens, & nullo pacto ſe ipſum manifeſtans in dilatatione, ac profuſione ſuarum Bonitatum, ac fontani ſplendoris beneficā proceſſione, extra ordinem realis relationis penitus cōſiſtit, & deliteſcit. Hinc ſequitur, Deū, vt Ideam, & Ideata non eſſe mutua, & ſimul naturā, quoniam ſcilicet Ideatum in ratione realis relatiui dependet à Deo, non Deus ab Ideatis. Et in hoc ſenſu exponendus Scotus, quum negat, diuinam Eſſentiam reſpectus habere ad Creaturas. Quamobrem ipſe hæc profert: Nulla relatio talis poteſt eſſe realis, quoniam relatio realis non eſt ſine ordine, Deus autem non habet ordinem realem ad Creaturam, quoniam eſt ſupra ordinem. Secundum autem ſenſum, nempe diuinam Eſſentiam reſpectum habere ad Creaturas, æquipollentem reali, tàm D. Thomas, quàm Scotus amplectuntur. Etenim D. Thomas manifeſtè aſſerit, Deum reſpectum habere ad Creaturas, non realem, ſed rationis: & Scotus inquit, Deum licèt nullam habeat nouam relationem ad Creaturas, quæ in tempore fiunt, attamen relationem habere ad Creaturas, non pro æternitate, ſed in æternitate. Ideò ait: Intellectus diuinus ad quodcūque comparat

Duplex reſpectus, vel realis, vel æquipollens reali.

Deus non habet relationem realem ad Creaturas.

Lib. 1. diſt. 30. q. 11.

Scotus diſt. 30. q. 11.

parat Eſſentiam ſuam, in æternitate comparat, licèt non pro æternitate &c. Hæc autem aſſertio eadem eſt, atque aſſertio D.Thomæ, qui hæc profert: Huiuſmodi reſpectus, quibus multiplicantur Ideæ, non cauſantur à rebus, ſed ab Intellectu diuino, comparante Eſſentiam ſuam ad res. Cæterùm hæc relatio diuini Intellectûs ſecundum vtroſque Theologos non eſt ſimpliciter relatio rationis: quoniam vel iſta comparatio Eſſentiæ poteſt realiter fieri, vel non. Si poſtremum: ergo Deus intelligit, quæ realiter intelligi non poſſunt, & ſic eos reſpectus conſtituit, quæ conſtitui non poſſunt, & ideò iſti reſpectus in Deo ſunt, quia putantur, non quia ſunt. Si primum: ergo non ſunt ſimplices relationes rationis; ergo qu**ũ** nec poſſint eſſe reales, propter abſolutiſſimam diuinam Naturam, ſunt reſpectus æquipollenter reales, id eſt, illud omne longè magis, & expreſſiùs præſtant, & efficiunt, quod præſtarent, & efficerent, ſi eſſent reſpectus reales. Confirmatur: quoniam diuina Eſſentia, à diuino Intellectu Creaturis comparata, vel eſt, vel non eſt fundamentaliter comparabilis. Si non eſt; ergo Deus comparat, quod comparari non poteſt, atque hoc pacto Intellectus diuinus Chymeras cõficeret, quod tùm D.Thomę, tùm Scoto conſentaneum, ſiquis indigeat helleboro, affirmabit. Si eſt fundamentaliter comparabilis: ergo relatio diuini Intellectûs non eſt relatio ſimplicis rationis, ſed rationis ratiocinatæ, quæ in ipſâ Dei Naturâ fundamentaliter eminenter plures reſpectus conſtituit. At diſtinctio rationis ratiocinatæ, in his, quæ pertinent ad diuinam Eſſentiam, vt dictum eſt, tàm ſecundum D. Thomam, quàm Scotum eſt diſtinctio virtutis plusquam æquipollentis. Ergo tàm Scotus, quàm D. Thomas aſſerunt, Deum habere plures reſpectus ad Creaturas, tùm ab Eſſentiâ diuinâ, tùm inuicem diſtinctos relatione virtuali plusquàm æquipollente. Num autem D. Thomas, & Scotus diſſentiant in relatiuis tertij ordinis, An ſcilicet alterum extremum ſit terminus tantùm abſolutus, vel etiam relatiuus, non eſt præſentis diſceptationis. Satis enim eſt probâſſe, eos non diſſentire in relatiuis tertij ordinis, quæ in Deo ponuntur. Quòd ſi dicatur, vim rationum Scoti in hoc conſiſtere; in relatiuis tertij ordinis alterum extremum eſt merè abſolutum. Sed quidquid dicitur de Deo in ordine ad Creatu-

D.Thom.1. p.q.15.art.2

Relatio diuini Intellectus non eſt relatio ſimplicis rationis.

In relatiuis tertij ordinis alterum extremum eſt merè abſolutum.

Digitized by Google

ras, vt Dominus, & huiuſmodi, ſunt relatiua tertij ordinis: Ergo Deus eſt terminus relationis Creaturarum merè abſolutus. Reſpondetur, & modò conceſsá maiori propoſitione, dicitur ad minorem: Relationes diuinas tertij ordinis duobus modis intelligi poſſe, vel vt omnino, vel vt non omninò conueniant cum omnibus relatiuis tertij ordinis: & hoc dici, non poteſt: quoniam relationes diuinæ tertij ordinis ſunt altioris, immò ſuperexcedentis ordinis, vnde potiùs ſunt extra ordinem, quàm in ordine relationum. Et ideò, licèt verum eſſet ſecundum Scotum, alterum extremum relatiuorum tertij ordinis relatione reali ad alterum ſeſe non habere, ſed eſſe merè abſolutũ, non tamen ſequitur, Deum nullã relationem ad Creaturas continere. Verum enim eſt, ſicut alterum extremorũ tertij ordinis relatione reali ad Deum non refertur, ſic Deum relatione reali ad Creaturas haud ſeſe habere, & in hoc ſenſu eſſe merè abſolutum, in quo tota ſanè viget Scoti comparatio. Sed quia relatiua tertij ordinis extra Deum propter Naturæ imperfectionem nõ poſſunt eminenter continere relationem rationis, quæ relationi reali æquipolleat, Deus autem propter ſuperexcedẽtem omnia continendi perfectionem id efficere poteſt; idcircò in hoc deficit relatiuorum cum relatiuis Dei comparatio, & Deus habet reſpectus ad Creaturas virtuales pluſquam æquipollentes, quos alia tertij ordinis relatiua habere non poſſunt. Propterea Scotus, qui multa hinc inde diſputáſſet, & relatiuorum tertij ordinis iam allatam doctrinam tradidiſſet, ad relationes diuinas, ſiue reſpectus ad Creaturas accedens, vtpotè altiùs ſeſe eleuans, hæc protulit: Abſolutè igitur dico, quòd propter terminationem relationum Creaturarum &c. Mox aſſerit, Deum, quatenus Eſſentiam ſuam Creaturis comparat, habere relationem rationis ad Creaturas, de quã iam dictum eſt.

Scotus lib. 1 diſt. 30. q. 1 1

Hinc paucis ad ſecundam dubitationem. Scotus negat, Deum habere reſpectum propriè realem ad Creaturas, ſed numquàm negauit reſpectus virtuales pluſquàm æquipollentes. Idem autem D. Thomas opinatur. Quapropter duo noſtræ Theologiæ lumina, & apices, verbis, non ſententijs diſſentiunt.

C A-

Digitized by Google

CAPVT XIII.

An Ideata verius eſſe habeant in Deo, vel in rerum Natura.

PLato in Libris de Republicá, Timæo, Phædone, alijſq. Dialogis, omnia, quę ad ſimilitudinem Idearũ facta ſunt, non veras res, ſed rerum verarũ vmbras, & imagines ſæpe ſæpius nuncupauit, Ideas tantùm veras res eſſe confirmans. Idcircò Ideam αὐτὸν ἄνθρωπον, αὐτὸν ἵππον, id eſt, ipſum hominem, ipſum equum appellauit. Ariſtoteles verò hominem, carne, atque oſſibus indutum, verum hominem eſſe arbitratus eſt, non autem hominem, à materiá ſeparatum, quem penè æquiuocè hominem eſſe autumat; perinde atque oculum lapideum, non verum oculum, ſed oculum æquiuocè tantùm cenſeret. Quare ex Ariſtotelis ſententiá Idealis homo ψευδάνθρωπος potiùs, id eſt, falſus homo, quàm αὐτὸς ἄνθρωπος, id eſt, verus homo nuncuparetur.

Idea ipſe homo, ipſe equus.

Verumtamen adnotandum eſt, ea ſola veræ ſubſtantiæ nomen ſibi vindicare, quæ per ſe ſtant, ſibi ipſis innixa, neque alio egent extra ſe, per quod ſtabilia durent, ac permaneant, neque peregrinis rebus admiſcẽtur, neque alienis adulterantur. Conſtat autem, ſolum Deum per ſe ſtare ſibimet innixum: cætera, niſi diuina Bonitas, & Poteſtas foueret, ac ſeruaret, in nihilum prorſus dilaberẽtur. Solus Deus omninò ſimplex, ab omni compoſitione alienus. Angelus, quia non eſt ipſa diuina Vnitas, alioquin Deus eſſet, aut plures eſsent Dij, quod concipi nec poteſt, ſupereſt, vt numerus ſit; & quia numerus, ideò & multitudo, & compoſitio. Et quoniam ipſum eſſe non eſt, alioquin eſſet Deus, ideò ex ſe non eſt, & quum ex ſe non ſit, oportet vt ab alio eſſe accipiat. Quò fit, vt compoſitio ex eſſentiâ, & eſſe in eo conſurgat. Quum autem ibi eſse nihil poſſit, vbi non eſt ipſum eſse, & Angelus ex ſe non ſit, ex ſe profectò non intelligit. Si verò ex ſe non intelligit, oportet vt ab alio intelligibilia recipiat. Quò fit, vt compoſitio ex Intellectu, & intelligibilibus in eo oriatur. Cætera verò, Cœlum, Animas, Homines, Elementa, & oĩa, quæ à Deo creata ſunt, & Mundo continentur, ſuis viribus innixa non permanere, alienis, ac peregrinis rebus admixta eſse, plurimumq́; compo-

Ea ſola veræ ſubſtantia, q̃ ſtant, ſibi ipſis innixa.

Deus Vnitas, Angelus Numerus.

Digitized by Google

ſita,nemini dubium, qui Philoſophiam vel à limine ſalutauerit. Propterea diuinorum ſemper memores Platonici formas omnes creatas ad accidentis potiùs, quàm ad veræ ſubſtantiæ conditionem referunt, formas verò, quæ materiæ coniunguntur, quia fluxæ, incertæ, perpetuò mutabiles ſunt, generationes potius, quàm formas, vt dictum eſt in Proœmio, nūcupant, quod fieri potiùs, quàm eſſe dicendum ſit. Et quia perpetuo fluxu, ac refluxu inſtar maris aguntur, Heraclitus eas mare nuncupauit, Platonici autem ſymbolicè Neptunum accipiunt pro naturali Prouidentiâ, generationum præſide: quin & Hebræi aquas pro fluxis rerum diſpoſitionibus accipiunt. Vnde vocem ſciamin שָׁמַיִם, hoc eſt Cœlos, compoſitam dicunt ex eſc אֵשׁ, id eſt, igne, & maim מַיִם, ideſt, aquis, per aquas fluxam, & inſtabilem operationum, & locorum viciſſitudinem, per ignem lucis candorem, & ſublimitatem in cœleſti Naturâ explicantes. Hinc & apud Orpheum per octonarium numerum hymnorum maritimorum corporeæ Naturæ proprietas deſignatur. Proinde, quum omnes Creaturæ neque ex ſe ipſis habeant eſſe, neque ex ſe ipſis intelligibilia poſſideant, rectè deducitur, eas eſſe tenebras, rerumque vmbras, quum proprio eſſe, proprijſq; intelligibilibus careant, & ideò illis priuatio inſit, cui nulla magis congruit, quàm tenebrarum appellatio. Et quia ſolus Deus eſt vera ſubſtantia, rectè ſequitur, Creaturas, quæ factæ ſunt ad imaginem diuinorum exemplarium, veras res non eſſe, at rerum vmbras, & imagines, ſolùm autem Creaturarum Ideas res veras eſſe, quia ſunt ipſa Dei ſubſtantia. Propterea Veterum Theologia Mundum hunc tenebroſi antri nomine expreſſit, Empedocles inquam, & Plato, eumq;, vt ait Cœlius Rhodiginus, ſignificauit Homerus in antri Ithacenſis deſcriptione, cuius Natura ἠεροειδὴς, id eſt, obſcura, ab ipſo vocatur. Perſarum etiam recondita doctrina Animas è Cœlo deſcendentes, ſpelūcam ſubire affirmat, quę ſanè ab antiquis Protei imagine deſignabantur: quòd ſicut Proteus in abdito latens antro, obdormiſcere effingitur, ita Anima in hoc Mundi antro ſomniat, & obdormiſcit. Cur autem Proteus dicatur, aliâs dicemus.

Formæ creatæ accidentia potius, quàm ſubſtantiæ.

Omnes creaturæ tenebræ aliunde ſumūt lumē.

Ex

Ex dictis patet,ſi de veriori, & perfectiori eſſe abſolutè loquamur, verius, & perfectius eſſe omnem Creaturam in diuino Intellectu obtinere,quàm in rerum Naturâ.Illud enim ſimplex,hoc compoſitum; illud per ſe conſiſtens, hoc ab alio;illud exuberanti lumine plenum,hoc tenebris admixtum. Et in hoc ſenſu verè, ac diuinè loquutus eſt Plato, neque id ab Ariſtotele alienum. Confirmatur: quia omnes Creaturæ ſunt imagines diuinorum exemplarium: imagines autem eatenus veræ dicuntur, quatenus exemplari quadrant, & reſpondent. Vera enim imago Herculis,quæ vero Herculi conformatur: Si verò loquamur de eſſe particulari, vtique res creata habet verius eſſe in ſeipsâ, quàm in Deo: ſiquidem homo in Deo habet eſſe Dei, ſed non eſſe hominis, nempe corporeum. Idcircò homo Idealis ad hominem Ideatum penè æquiuocè ſeſe habet, quum eſſe hominis Idealis iure,ac meritò ſuperſubſtantiale appelletur, eſſe autem hominis Ideati immenſo propemodum interuallo decedat à præſtantiâ diuini Archetypi. Et in hoc ſenſu Ariſtoteles intelligendus, neque id à Platone alienum. Quantùm verò ad eſſe repræſentatum homo Idealis ita verus homo eſt, quemadmodum & homo Ideatus. Non enim ille magis exprimit, quàm iſte exprimatur: alioquin vel iſte non exprimeretur vt eſt, vel ille non exprimeret perfectè, quòd abſurdiſſimum: & in hoc ſenſu neque inuicem ſunt æquiuoci, vt ait Ariſt.neque alter altero verior,vt aſſerit Plato.

Imagines eatenus vera,quatenus exẽplariqua drãt,& reſpondent.

Homo Ideatus ita verus homo, quemadmodũ Idealis.

CAPVT XIIII.

De intima Idearum vnitate.

QVoniam non parù confert Anaxagoræ opinio ad intimã Idearum vnitatem explicandã, licèt præſentis diſputationis nõ ſit,quę vera fuerit illius ſentẽtia perſcrutari, ſatis mihi fore exiſtimans,ſi rectè ita ſenſerit, explicationem incongruam non videri,in arenam deſcendo. Opinio,quam Anaxagoræ tribuit Ariſtoteles, in quattuor partes diſtribuitur. Prima: Quędam eſſe Intellectum immixtum reb.corporeis,& eas ſegregantẽ.Secunda,innumerabilia eſſe principia materialia, quib. ὁμοιομερῶν, hoc eſt, ſimiliũ partiũ nomen idẽ Anaxagoras inuexit,quorum etiam infinitæ partes inuicem commiſcẽtur.

Innumerabilia principia materialia iuxta Anaxagoram.

Ter-

Tertia : in quolibet eſſe infinitas partes ſingulorum, vt infinitas partes ignis in aëre, carnis in oſſibus : & hoc eſt de cauſâ, quòd alterum ex altero gigni conſpiciebat : & ideò dicebat quodlibet eſſe in quolibet, & quodlibet fieri ex quolibet. Quarta : generationem rerum fieri per diſgregationem conſimiliũ partiũ, & mutuam congregationem, hæc verò principia ſemper manent, & numquam ſecundũ ſubſtantiam vel gignuntur, vel intereunt.

Intellectus profectò ipſe Deus eſt apud Anaxagoram. Illius verba, quæ refert *Simplicius*, hoc teſtantur. Mens eſt quiddam infinitum, per ſe ipſum potens, cum nullâ re commixtum, ſed ipſum ſolum in ſe ipſo eſt. Eſt enim quid tenuiſſimum rerum omnium, & puriſſimum : habet notitiam omnem de re omni, vi maximum, omnibus quæcumque Animam habent, tàm maioribus, quam minorib. dominatur, omnis ſimul περιχωρήσεως, id eſt, per circuitum reditus, Mens domina, Mẽs nouit omnia, & commiſta, & diſgregata, & quæ futura ſunt, & quæcùmque nunc non ſunt, & quæcumque ſunt, omnia diſpoſuit. hæc Anaxagoras.

Quum igitur Anaxagoras vt Metaphyſicus loquatur, & æquum ſit, ſi de innumeris principiis rectè ſenſit, eum quoque metaphyſicè interpretari, per conſimiles partes, ſiue innumera illius principia non quidem res materiales exponemus, ſed ipſas Ideas.

Ideæ quidem ſunt innumera rerũ principia, tùm quia ſunt ipſa diuina Eſſentia, tùm quia & ad innumera referuntur, & innumera producunt. Sunt etiam ſimiles partes : licèt enim vnaquæque Idea, ſecundum ſe quidditatiuè ſumpta, habeat diſſimiles rationes, non æquè definibiles, vnde hominis Idea nõ eſt Idea equi, nec ratio huius eſt ratio illius ſecũdum virtutem plusquam æquipollentem, de quâ plura diximus: attamẽ Ideæ ſimiles ſunt, tùm quia altera includit plurima, quæ ſunt alterius, vt Idea hominis animam, vitam, ſenſum, & huiuſmodi, quæ ſpectant etiam ad Ideam equi, & è cõuerſo: tùm quia Naturam diuinam in proprio conceptu ſemper includunt. Habent autem infinitas partes, quoniam ad innumera extra ſe referuntur, & innumera in ſeipſis repræſentant, quemadmodũ Ideæ ſpecierum, quæ ſanè infinitę, partes inuicẽ cõmiſcentur,

Quomodo ſimiles Ideæ

qua-

quatenus ſunt veluti actus quidam vitales, non propriâ mixtione aliquid componentes, vel è potentiâ exeuntes, ſed tamquàm radij quidam lucis, ipſi luci penitus intimi, atque perpetui, in quos lux ipſa ſimpliciter ſeſe propagat, quique in ipſâ luce, vt in Sole, vnitiuè commiſceri videntur. Ideò illarum mixtio non eſt mixtio compoſitionis, ſed eminentiſſimæ virtutis, & puriſſimæ ſimplicitatis. Quia enim in diuinâ Naturâ nulla eſt mixtio actûs, ſed virtutis pluſquam æquipollentis, ideò in diuinâ Naturâ maxima mixtio coincidit cum maximâ ſimplicitate. Et quamuis Intellectus ab Anaxagorâ immixtus appelletur, hoc intelligitur ſecundum actum, non ſecundum virtutem ſuperexcedentem. Quomodo autem in quâlibet Ideâ ſint infinitæ partes ſingularum, & quælibet ſit in quâlibet, & quælibet fiat ex quâlibet, quæ tertia pars eſt opinionis Anaxagoræ, ita explanamus. Quemadmodum ſenſus, qui eſt infima cognitio, proſpicit externa, ita Intellectus, vt Intellectus, qui eſt ſumma cognitio, intima ſolùm intuetur. Quò autem perfectior fuerit Intellectus, magis perfectè intima perfectus cognoſcet: perfectiſſimus verò perfectiſſimè. At Deus eſt ſummũ, & perfectiſſimũ Intelligens. Quapropter ſumma intelligibilia, ſummâ intimatione ſibi intima, cognoſcet. Non eſt autẽ sũma intimatio, niſi adſit ſumma Vnitas, neque adeſt ſumma Vnitas, niſi omnia in vno, & ſingula in ſingulis ſint vnum. Quum itaque oportet, ſingula, quæ in Ideis repræſentantur, in Ideis eſſe vnum, & vnam abſolutè quamcumque Ideam, ſingulæ profectò Idearum partes in quâlibet Ideâ manebunt, & quælibet in quâlibet Ideâ. Fit autem quælibet Idea ex quâlibet non reali motu, aut generatione, ſed tamquàm radij in Sole perpetuò, ac ſimpliciter ſummâ intimatione propagantur. In quo enim eſſe, viuere, & intelligere re ipſâ ſunt vnum, hunc, dum intelligit ſe ipſum, & in ſe ipſo omnia, in plures vitales formas, intelligibileſq; conceptus ſe ipſum propagare intelligimus. Et quia Ideæ ſunt Vnitates multiformes in ipſâ Vnitate omniformi, ſupereſt, vt in principio fœcundiſſimo ipſę quoque infœcundæ non ſint, ſed eminentiſſimè inuicem propagentur, dum altera quod eſt alterius quodammodo ſuſcipit, & gignit, non quidem ſecundum eſſentiales proprietates, at ſecundum communia prædicata. Si quidem Idea hominis repræſentans homi-

In diuinâ Naturâ maxima mixtio coincidit cũ maxima ſimplicitate.

Ideæ Vnitates multiformes in ipſa Vnitate omniformi.

hominem, vt mixtum ex Elementis, in Ideam Elementorum propagatur, vt brutorum ſenſum habentem, in brutorum Ideam, vt plantarum animam vegetalem continentem, in Ideam plantarum, vt angelicæ mentis compotem, in Angelorum Ideam, vt calorem propè cœleſtem, aliasq; cœleſtes qualitates comprehendẽtem, in Ideam Cœlorum, & ſic de ſingulis. Quò fit, vt Ideæ plurimùm conferant ad aſcenſum, & deſcenſum graduum Naturæ, & conſequenter ad rerum omnium conſenſum, quem Græci ſignificantiùs *συμπάθειαν* appellant, ex quâ Sympathiâ ducit ortum Magia naturalis, apud Chaldæos, & priſcos omnes Sapientes celeberrima. Quòd ſi Ideæ ita diſcretæ ſunt, vt altera in Deo nihil habeat cum alterâ commune: ergo Mundus ille intelligibilis diuerſior erit, quàm ſenſibilis: ergo in ſequentibus nulla erit vnio. Coniunctę igitur ſunt abſque confuſione, diſiunctæ abſque ſeparatione, in eâdem prorſus indiuiduâ diuinâ Naturâ indiuiduam communionem, & propagationem conſeruantes. Hæc autem propagatio nil aliud eſt, quàm multiplex pluſquàm ęquipollenter virtualis ſimilitudo, quum tamen actu nulla Ideis inſit mutua ſimilitudo: quippe actu ſunt vna, & eadem prorſus diuina Natura: nihil autem eſt ſimile ſibimet ipſi. Quum verò diuinus Intellectus Ideas inuicem diſgregat, non quidem actu, ſed eminentiſſimâ virtute, easq; ſimul etiam congregat, quia omnes conſpicit Ideas vnico tantùm ſimpliciſſimo contuitu, vt vnicum tantùm actu ſimpliciſſimum obiectum, tunc res ipſas molitur, & prodit in effectionem. Ideas denique nec gigni, nec produci, ſed æternas eſſe, & immutabiles, ſatis conſtat, quum ſint ipſa diuina Natura.

Ideæ conferũt ad aſcẽſum, & deſcenſum graduum Naturæ.

Intellectus diuinus diſgregat Ideas eminentiſſima virtute.

CAPVT XV.

Ideas propriè ad totam diuinam Naturam pertinere, congrua tamen ratione Filio accommodari.

DVbitatio ſanè pulcherrima, ac digna ſcitu, prætereunda non videtur, An Ideæ ſpectent ad totam diuinæ Eſſentiæ vnitatem, vel ad diſtinctionem Perſonarum? Ratio dubitandi eſt, quoniam veteres Theologi, ponentes diuinam Mentem, à Patre,

Patre, origine diſtinctam, vt dictum eſt, re ipsá verò conſubſtantialem, hanc profectò, non autem Deum Patrem Ideas omnes continere aſſeuerant. Immò ex diuinis literis id apertè colligitur. Etenim agẽtia per Intellectum niſi per Ideas agere poſſunt: alioquin ſine Ideis temerè agerent quidquid agerent. Quum autem in hiſce agentibus Idea ſit principium operationis, eſt quoque principium cognitionis: nihil enim efficitur, quod priùs non cognoſcatur. Cæterùm per Filium in diuinis omnia facta ſunt. Ideò Sap. 7. dicitur: Omnium Artifex Sapientia docuit me. Prouerb. 8. Quando præparabat Cœlos, aderam, quãdo certá lege, & gyro vallabat abyſſos, quando Aethera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum &c. & Io. 1. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Ideò & Rupertus ſic ait: Creauit Deus prius in Verbo æterno, quòd poſterius fecit in opere externo. Sed hic obiter non ſilebo, Pererium in Rupertum inuehi, quia nihil Deus creat in ſe ipſo. At Rupertus latè accepit creationem, vt Latinè, & a ſanctis etiam Patribus quandoque accipitur, pro quálibet productione: Non inficior tamen, Rupertum cautiùs incedere potuiſſe. Quum igitur per diuinum Verbum omnia facta ſint, Verbum autem agat, vt agens per Intellectum, vtique non agit niſi per Ideas. Verbum itaque habet Ideas, quibus omnia & operatur, & cognoſcit.

Lib. 1.

Rupert. lib. 2. de Trinit.
Pererius lib. 1. Gen. cap 2

Ad rei ſolutionem animaduertendum, Ideas non pertinere ad diſtinctionem Perſonarum, quia pertinent ad totam ſimul Trinitatem. Trinitas enim, quemadmodum Mundum ſenſibile, & Intellectualem, ſiue Angelicum, tota creauit, ſic Archetypum, ſiue Ideas tota continet, & cognoſcit. Vnde illud protritum eſt in Scholis Theologorum, opera ad extrà indiuiſa eſſe. Idcircò nõ eſt propriũ Filij Ideas continere, ſed abſolutè competit vniuerſæ Trinitati. Sicut enim, vt ait D. Auguſtinus, Pater eſt Sapientia, Filius Sapientia, ſed Filius genita, Pater ingenita, nec tamen alia Sapientia Pater, alia Sapientia Filius, ſed vna, & eadem eſt, licèt non vno modo dicatur, quia Sapientia Filij eſt illa, quam Pater genuit, Sapientia Patris, quæ à nullo eſt: ita Pater Ideas habet, Filius Ideas habet, ſed Pater ingenitas, Filius genitas, nec tamen aliæ ſunt Ideæ Patris, aliæ Filij, ſed vna, & eadem

Ideæ pertinent ad totã ſimul Trinitatem.

D. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 7.

O ſeries

Digitized by Google

ſeries Idearum, quæ tribus Perſonis communis intelligitur. Quoniam tamen, vt ait D. Thomas, per notiora nobis Trinitas manifeſtanda, proprietates autem diuinæ Eſſentiæ nobis notiores, quia Naturæ lumine cognoſci poſſunt, vt Sapientia, Bonitas, & huiuſmodi, ſed non vtique proprietates Perſonarum, propterea congruum eſt; vt nomina eſſentialia Perſonis accommodentur, atque approprientur. Ita Hilarius Aeternitatem Patri, ſpeciem Filio, vſum Spiritui Sancto, tamquam propria nomina tribuit: Auguſtinus autem Patri vnitatem, Filio æqualitatem, Spiritui concordiam, ſiue connexionem. Quoniam igitur Filius per modum Intellectûs emanat; idcircò, quæcumque pertinent ad Intellectum Filio appropriantur, quemadmodum nomen Sapientiæ, de quâ dicitur 1. ad Corinth. Chriſtum, Dei Virtutem, & Dei Sapientiam. Vnde, quoniam Ideæ ad Intellectum pertinent, congruum eſt, vt Filio in diuinis approprientur. Ergo vel dicimus Ideas propriè Filio competere, vel congruè appropriari. In primo ſenſu diuinæ literæ non loquuntur, ſed in ſecundo, vt patet. In ſecundo quoque, non in primo Veteres Theologi loquuntur. Quum enim Deum Sapientiſſimum affirment, & Eſſentiâ prorſus eumdem cum Mente vtique affirmant, diuinam Naturam Ideas continere. In ſecundo autem ſenſu, diuino agente lumine, plura loquuti ſunt, vt diuinam Mentem magis manifeſtarent. Neque hoc alienum à D. Auguſtino, qui Filium vocat plenam Artē omnium rationum viuentium. & D. Bonauentura hæc protulit. Et hinc habet ortum illud, quod conſueuit dici, quod qui negat Ideas eſſe, negat Filium Dei eſſe. Quoniam autem Pater à nullo emanat, & ideò non emanat per modum Intellectûs, Spiritus verò per modum amoris procedit: inde factum eſt, vt nec Patri, nec Spiritui Sancto Ideæ approprientur.

D. Thomas 1. par. q. 39. art. 7.

Hilarius lib. 2. de Trinitat. Paulo poſt initiū. Aug. lib. de Doc. Chriſt. cap. 5. t. 3.

Li. 6. de Trinit. cap. 10.

D. Bonauentura lib. 1. diſt. 6. q. 3.

Finis Libri Secundi.

QVO-

Digitized by Google

QVORVM SINT.
Et ad quid conferant Ideę.

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Ideas conducere ad Animæ noſtræ cognitionem.

Vidimus in ſuperiori Libro, Ideas conducere ad rerum cognitionem in Mente diuinâ. Nunc ordinis ratio expoſtulat, vt perpendamus, quō conferant ad humanā rerum cognitionem. Maxima lis profectò in hac re videtur inter Platonem, & Ariſtotelem. Hic enim ſic argumentatur. Per ipſum, quod quid eſt, res nō modò habet eſſe, verùm & cognoſci. At res per quod quid eſt, à re ipſâ ſeparatum, neque eſt, neque cognoſcitur. Ideæ autem ſecundum Platonem ſunt rerum quidditates, à rebus ſeparatę. Non igitur Ideæ conferunt ad noſtram cognitionem. *7. Met. tex. 20. aliisq; pluribus in locis.*

Sed facilè reſpōdetur, & negatur minor propoſitio de quidditate exemplari, licèt de quidditate materiali cōcedatur. Ideæ autem ita ſunt rerum exemplares quidditates apud Platonē, quemadmodum Ideæ in Artifice ſunt quidditates rerum, quæ arte fiunt apud eumdem Ariſtotelem: vnde ipſe inquit: Ab arte autem fiunt, quorum forma in Animâ eſt, atque formam dico quidditatem cuiuſque, ſubſtantiamq; primam &c. Ratio tamē Ariſtotelis ſatis virium haberet aduerſus Platonem, ſi Plato affirmaret, Ideas eſſe quidditates rerum, cum materiâ conglutinatas, quod alienum à Platone, vt patet ex primo Libro. Ideò lis eſt in verbis, non in ſententijs. *Ideæ ſunt quidditates rerum.* *7. Met. tex. 23.*

Quomodo igitur Ideæ conferant ad noſtram ſcientiam,

Digitized by Google

Res in Idearum lumine cognoſci duobus modis intelligitur. declarandum eſt. Rem vtique in Idearum lumine cognoſci, duobus modis intelligi poteſt: vel vt nos in hac vita, non per veras Ideas, ſed per Idearum vmbras, & imagines res dignoſcamus, vel vt res dignoſcamus per diuinas ipſas Ideas. In primo ſenſu quælibet Anima humana res in diuinis Ideis cognoſcit. Quum enim formæ ſenſibiles ſint imagines, & participationes ſupremarum Idearum, ab eis verò noſtra cognitio ducat originem, ſatis conſtat, ea, quæ nos quotidie intelligimus, in Idearum lumine cognoſci. Confirmatur: quoniam idem eſt motus in imaginem, & rem, cuius eſt imago. At nos videmus omnia per Idearum imagines. Ergo & omnia in lumine Idearum cognoſcimus. Accedit, quòd ſpecies intelligibiles ſunt participationes, ex ſimilitudine diuinarum Idearum. Sicut enim Intellectus noſter eſt participata diuini Intellectûs ſimilitudo, & ideò homo ratione Intellectûs ad imaginem Dei factus eſt, ita humana intelligibilia ſunt participatæ diuinorum intelligibilium ſimilitudines. Quamobrem, ſicut Deus intelligens omnia, eſt omnia, ita Anima noſtra, vt ait Ariſt. intelligendo omnia, fit quodammodo omnia. Et ideò cognoſcẽtes in lumine ſpecierum intelligibilium, cognoſcimus in lumine Idearum. Attamen præſentis diſputationis non eſt decernere, num ſpecies intelligibiles à ſenſibilibus depromantur, vt cenſet communis Schola Peripateticorum, vel Animæ Naturâ inſitę inhæreant, quemadmodum Plato exiſtimaſſe viſus eſt. Nec præſentis diſputationis eſt inquirere, an oporteat, vt doctiſſimus, & acerrimo præditus ingenio Henricus Gandauenſis exiſtimauit, ad Veritatem ſyncerè percipiendam, ſpeciem diuinitus illapſam inueniri, quæ tamquam expreſſa quædam imago diuinorum exemplarium, Intellectûs certitudinem ſola perficiat, & ſpeciem, quæ à ſenſibilibus rebus depromitur, in altiori, ac firmiori lumine, tamquam lux potentior, illuminet, atque innoteſcere faciat. Quia enim iſta materia eſt ſubtilis, & profunda, pluresq; exigit diſceptationes, vt rectè diſcutiatur, nolo hîc eam latiùs explicare. Satis eſt, ſpecies intelligibiles, vtcumque accipiantur, ſiue vt depromptæ à rebus, ſiue vt congenitæ, ſiue vt diuinitus illapſæ, nil aliud eſſe, quàm participatas diuinarum Idearum ſimilitudines. Quapropter tùm

Intellectus humanus Diuini participatio. Ariſt. 3. de Anima.

Species diuinitus illapſa.

Digitized by Google

ex parte formarũ ſenſibilium, tùm ex parte formarum intelligibilium, quoniam tàm illæ, quàm iſtæ ſunt participatæ Ideæ, verum eſt, quamlibet Animam humanam quidquid cognoſcit in Idearum lumine cognoſcere: & hic de qualibet Animâ eſt verus ſenſus Platonis. Propterea inquit nos ſomniare circa Ideas: quia ſcilicet Ideis non vtimur in hoc ſtatu, ſed earum imaginibus, quemadmodum & ij, qui ſomniant, res ipſas non vident, ſed rerum imagines. Proinde magnus Auguſtinus inquit, ſcientiarum ſpectamina in diuinâ Veritate videri, ſicut viſibilia in lumine Solis. Conſtat autem, res non videri in ipſo corpore Solis, verùm per lumen, ſuæ claritatis ſimilitudinem, in Elementis, & corporibus longè, lateq; diffuſum. Quare nec res in ipſâ Veritate diuiniſſimâ conſpiciuntur, ſed per lumen intelligibile, diuinorum Intelligibilium participatam ſimilitudinem. Hoc autem illud eſt, quod ait Apoſtolus: *Videmus nunc per ſpeculum in Aenigmate, tunc autem facie ad faciem.* Nam formæ tàm ſenſibiles, quàm intelligibiles nil aliud ſunt, quàm imago quædam, & ſpeculum diuinorum exemplarium. Hoc etiam illud eſt, quod ait Propheta: Domine in lumine vultûs tui ambulabunt. Quare D. Ioannes, vt ait idem Auguſtinus de Ciuitate Dei, de ſe ipſo inquit: Non erat ille lumen, ſed vt teſtimonium perhibeat de lumine. Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem, venientem in hunc Mundum, ſatis oſtendens, Animam intellectualem, qualis erat in Ioanne, ſibi lumen eſſe non poſſe, ſed alterius veri luminis participatione lucere. Hoc & ipſe Ioannes fatetur, vbi dicit: Nos omnes de plenitudine eius accepimus. In ſecundo autem ſenſu, nempe ſi dicamus, res cognoſci per ipſas diuinas Ideas; equidem non Anima quælibet, ſed Anima ſancta, & diuiniore lumine illuſtrata, res ipſas in hac vitâ per diuinas Ideas cognoſcit. Hoc autem fieri non poteſt, niſi per modum, Naturæ vires ineffabiliter excedentem, & per omnimodam abſtractionem à ſenſibus corporeis. Quoniam enim exercitatio vnius potentiæ alteram Animæ potentiam impedit, atque obtundit, propriasq; tollit vires, ne prodeat in abſolutiſſimam operationem, & quoniam ad videndum ſummum im-

Formæ tàm ſenſibiles, quã intelligibiles ſunt Ideæ participatæ.

Plato ĩ Cratylo.

D. Aug. in Soliloquijs.

1. ad Corin.

D. Aug. de Ciu. Dei li. 10. cap. 11.

Exercitatio vnius potentiæ alteram obtundit.

immaterialium, diuinam ſcilicet Eſſentiam, ita ſuprà Naturæ conditionem eleuari oportet, vt à ſenſibus cum materiâ commixtis, omninò fiat abſtractio, ideò Anima ſancta diuinam Eſſentiam inſpectura, neceſſe eſt, vt à ſenſibus omninò alienata, in proprium ſuum lumen, & oculum, id eſt, Intelligentiam, tota immobiliter ſeſe colligat. Hinc lumine gloriæ adueniente, de quo dicitur in Pſalmis: In lumine tuo videbimus lumen, non quidem per modum formæ permanentis, ſed per modum formæ tranſeuntis, rapitur beata Anima ad ſupercœleſtem diuinæ Naturæ cõtemplationem, in quâ per ipſas Ideas Creaturarum quidditates dilucidè cognoſcit. Quum enim in diuinâ Naturâ omnium rerum Ideæ intelligibiliter reluceant, qui viderit diuinam Naturam, Ideas videbit; qui viderit Ideas, hunc ſolum rerum cognitionem verè prorſus, ac ſyncerè adeptum eſſe dici poteſt. Propterea Priſci omnes ſapientes affirmarunt, Animam non in ſe, ſed ſupra ſe in altioris lumine vera cognoſcere, quod ſanè lumen in eâ non ſit per modum formæ permanentis, quoniam ſi ceſſat eius conuerſio ad lumen ſuperius, ceſſat & lumen diuinum, quo Anima perfunditur. Id autem cõtingit, vt ait Zoroaſter, Chaldæorum Theologiæ Princeps, quum Anima Deum quodammodo contrahit in ſe ipſam, nilq; mortale retinens, tota diuinis hauſtibus inebriatur. Anima verò diuino lumine perfuſa, illud tranſmittit in corpus, quo factum eſt, vt Moſes ad diuinam viſionem eleuatus, & vultûs ſplendore colluceret, ob quem intuentium Hebræorum oculi caligine torperent: quod ſanè de vero diuinæ Sapientiæ contemplatore, qui verus eſt Philoſophus, Plato in Timæo pronunciauit in hæc verba: Philoſophus autem Entis ipſius Ideæ ſemper inhærens, ob regionis illius ſplendorem haud facilè cernitur; Nam vulgarium Animarum oculi diuinitatis radios ſuſtinere non poſſunt. A Platone autem hanc opinionem deprompſit ſapientiſſimus Auguſtinus, qui affirmat, Animam noſtram in æternis Rationibus, & Ideis veritatem cognoſcere. Cæterùm adnotandum eſt quàm diligentiſſimè, Animam humanam ex ſententiâ tùm Platonis, quàm D. Auguſtini, per inſpectionem diuinarum Idearum nihil intelligere, niſi quum peruenit ad illum ſtatum, qui eſt ſupremus gradus contemplatiuæ perfectionis, ad abſtractionem videlicet:

Anima, nõ in ſe, ſed in altiori lumine vera cognoſcit.

D. Aug. lib. 9. de Trinit. 12. Conf. lib. de vera Rel. in Soliloquiis, 12 de Trinit, & alibi.

cet à ſenſibus corporeis, & raptum ſupercœleſtem, quem ſolis contigiſſe & Moſi, & D. Paulo Auguſt. & Angelicus Doctor doctiſſimè affirmant. Idem ſanè Plato aſſeuerat hiſce verbis: Veræ quidem opinionis vir quilibet particeps; Intelligentiæ vero Dij quidem omnes, homines verò pauci admodum participes ſunt. Quum enim dixerit, Ideata percipi opinione, Ideas intelligentiâ, addit, pauciſſimos homines eam intelligentiam habere, quæ percipit Ideas, omnes tamen Beatos, quos Deorum nomine appellat, quemadmodum etiam ſæpe ſæpius Sacra Prophetarum eloquia, ipſas diuinas Ideas cognoſcere aſſeuerat. Iſti autem pauci homines purgatiſſimi ſunt ab omni corporis contagione: quoniam, vt ipſe Plato inquit, impuro quidem purum attingere nefas eſt. At D. Auguſtinus adeò expreſsè hanc ſententiam edocet, vt eius verba in medium afferre oporteat: Anima (inquit) rationalis inter eas res, quæ ſunt à Deo conditæ, omnia ſuperat, & Deo proxima eſt, quando pura eſt, eiq; in quantum charitate cohæſerit, in tantum ab eo lumine illo intelligibili perfuſa quodammodo, & illuſtrata cernit, non per corporeos oculos, ſed per ipſius ſui principale, quo excellit, id eſt, per intelligentiam ſuam, iſtas rationes, quarum viſione fit beatiſſima. Quas rationes, vt dictum eſt, ſiue Ideas, ſiue formas, ſiue ſpecies, ſiue rationes licet vocare, & multis appellare conceditur nominibus, ſed pauciſſimis videre, quod verum eſt. In hiſce verbis adnotandum eſt, quod ipſe inquit Auguſtinus, Animam ſanctam Ideas non videre per oculos corporeos: hæc enim verba ſignificant abſtractionem eius à ſenſibus corporeis. Idcircò ipſe Auguſt. ſic ait: Niſi ab hac vitâ quiſque quodammodo moriatur, ſiue omninò exiens à corpore, ſiue auerſus, & alienatus à corporeis ſenſibus, in illam non vehitur viſionem. Hoc porrò in fabulâ Tireſiæ, à Callimacho decantatâ, ſymbolicè explanatur, qui nudam quum inſpexiſſet Mineruam, id eſt, diuinam Sapientiam, Ideas continentem, cæcus euaſit, id eſt, abſtractus à ſenſibus corporeis, quum tamen ab eâdem Mineruâ Prophetiæ fuerit lumine illuſtratus. Et quoniam, qui à ſenſibus corporeis alienatur, quodammodo moritur, & niſi per hanc mortem peruenire poſſumus ad diuinam viſionem,

D. Aug. lib. 12. ſupra Gen. & in lib. de vidēdo Deo ad Paulinam. D. Thomas ſecunda ſecūdæ quæſt. 125. art. 3. Plato in Timæo.

Plato in Phedone.

D. Auguſt. lib. 83. q.

D. Aug. ſupra Gen.

Qui à ſenſibus corporeis alienatur, quodāmodo moritur.

viſionem,cauendum eſt, ne illud nobis contingat, quod contigit Orpheo, de quo Plato in Sympoſio. Orpheus enim viuus, id eſt, non alienatus à ſenſibus corporeis,pulcherrimam Amaſiam, id eſt, diuinam Idealem pulchritudinem inſpicere voluit: quapropter non veram Amaſiam, ſed vmbram eius, & ſimulachrum,id eſt, formas iſtas ſenſibiles inſpexit. Alceſte verò, Peliæ filia, de quá nonnulla in eodem Sympoſio, quia mortua ad rem amatam ire egregio facinore voluit, id eſt, abſtracta à ſenſibus corporeis ad ipſam Idealem pulchritudinem, propterea in vitam continuò reuocata eſt,id eſt, vitam intellectualem acquiſiuit,quum ſolá intelligentiá vtens,in Angelum penè trãſformaretur. Et hic eſt verus ſenſus Platonis in Sympoſio, dum Phœdrus in laudibus Amoris Alceſten collaudat, Orpheum inſectatur.

CAPVT II.

Ideas conducere ad rerum generationem ſtatuitur.

IDeas conducere ad rerum generationem viſus eſt negáſſe Ariſtoteles,quod ſcilicet ipſe affirmet, hominem proximè fieri ab homine,equum ab equo,& ideò quum homo, & equus ſufficiant ad generationem hominis, & equi, ſuperuacaneas eſſe Platonicas Ideas. Sed facilè reſpondetur, præter cauſas particulares exigi cauſas vniuerſales, vt ipſe Ariſtoteles fatetur, dum inquit: Sol, & homo generant hominem. Quum autem Deus & cauſa ſit vniuerſaliſſima,& agat per Intellectum, oportet omnium rerum ſtatuere cauſas vniuerſaliſſimas, quæ ſunt ipſæ Ideæ, in diuiná Mente conſiſtentes. Quomodo autem in hac re Plato cum Ariſtotele concilietur, dictum eſt.

Ariſt. Met. t. 28. & 12. Met. t. 18. — *2. Phyſ. t. 26.* — *Lib. 1.*

Quo itaque pacto ad rerum generationem Ideæ conferant, perpendamus. Conſtat profectò, omnes penè Philoſophorum ſectas in eo conuenire, vt affirment, Deum operari: hoc enim aduerſus impios vniuerſa rerum incolumitas, ſtabileſq; ordines, & ſapientiſſima diſpoſitio velint nolint apertiſſimè teſtatur. Quomodo autem, quum ſit agens per Intellectum, operatur, niſi per Ideas? Adde: quòd Bonum ſui naturá communicabile. Deus autẽ eſt ipſa per ſe Bonitas, neque, vt ait D. Auguſt.

Bonum ſui natura communicabile. D. Aug. de Ciui. Dei lib. 12.

eſt

Digitized by Google

eſt author excellentior Deo, neque Ars efficacior Dei Verbo, nec cauſa melior, quã vt Bonũ crearetur à bono Deo. Quamobrem inquit Plato, diuinam Bonitatem cauſam fuiſſe Mundi condendi iuſtiſſimam. Quoniam verò vna tantùm Creatura ſufficere non poterat ad imitandam ipſam diuinam Bonitatem, ita vt huiuſmodi imitatio perfectionem, quæ in vniuerſo, & ſingulis rebus continetur, perfectè exprimeret, ideò ſingulis rebus ſecundum vniuſcuiuſque Naturam ſuam Bonitatem communicauit, ex quo factum eſt, vt diuerſi Bonitatis gradus in diuerſis rebus conſurgerent; quod etiam fatetur Ariſtoteles: A primo Ente communicatum eſt eſſe, his quidem clariùs, illis autem obſcuriùs. Decet enim, vt quemadmodum, quæ in rebus formæ ſunt multæ, in Deo ſunt vna forma; ita quæ in Deo eſt vna formalis, & ſimpliciſſima Bonitas in tot Bonitates, quot in Creaturas diuidatur. Porrò, quemadmodum ſubſtantiæ ſunt in hoc Mundo inferiore per modum accidentium, quum indeſinenter fluant, & abeant: ita quæ ſunt in hoc Mundo per modum accidentium, ſunt in Deo per modum ſubſtantiarum, quum in Deo nihil ſit, quod non ſit illius ſubſtantia. Et ideò congruum eſt, Bonitatem diuinam, quæ ipſa Dei ſubſtantia eſt, in plures Creaturarum Bonitates diſtingui, quæ in hoc Mundo ſicut aquæ dilabuntur, vt verè Apoſtolus dixerit: Præterit figura huius Mundi. Et quia diuina Sapientia eſt cauſa diſtinctionis rerum, Ideæ autem diuinâ Sapientiâ continentur, propterea diſtincta in reb. diuinæ Bonitatis communicatio facta eſt per Ideas, & ſic Ideę ad rerum generationem conducunt. Et quidem ad rerum productionem operantur, perinde ac domus interior ad conſtructionem domûs exterioris, vt dicit Ariſtot. Sicut enim forma in mente Artificis dat formam rei per imitationem, ita formæ in mente diuini Opificis dant formam rebus creatis. Idea profectò ijs, quæ format, tota adeſt, diuinum eſſe, & Bonitatem communicans, ſingulis ſe participat, nullis ſe miſcet; in multiplici rerum ſerie inuenitur, ſed omninò ſimplex; in tempore, ſed æterna; in motu, & generatione, ſed penitus immutabilis; in pluribus locis, ſed incircumſcripta; virtutem exhibet, non ſubſtantiam; ſimilitudinem, non eſſentiam. Sicut enim humana facies ſpeculum inſpiciens,

D. Aug. de Ciu. Dei li. 11.

Plato in Timæo.

Ariſt. 1. Cæli t. 100.

Quæ in reb. formæ ſunt multæ, i Deo ſunt vna forma.

Diuina Sapiẽtia cauſa diſtinctionis rerum.

Ariſtot. 7. Met. t. 23.

nullas in eo ſuas partes relinquit, ſed tantùm ſuarum partium ſimulachra: ita diuinæ Ideæ in materiæ ſpeculo nullas eſſentiæ ſuæ partes exhibent, ſed tantùm vmbras, & imagines. Et quemadmodum, vt ait Plotinus, multæ cerulæ ab eodem ſigillo imaginem recipiunt, ſigillum verò in ſe ipſo integrum permanet: ita ab Ideâ multa Ideata imaginem recipiunt abſque primitiui ſigilli, diuinæ ſcilicet Ideæ, detrimento. Adde verba Platonis in Parmenide: Si dies vnus vbique ſimul adeſt, nec ipſe tamen à ſe ipſo ſecernitur, ita nihil prohibet, quamlibet ſpeciem vnam, & eamdem ſimul multis adeſſe, nec tamen ſe ipsâ ſecerni. Confirmatur: quoniam Ideæ non ſunt per eſſentiam in Ideatis, ita vt in illorum eſſentiâ includantur: quod eſset abſurdiſſimum, ſed intimè adſunt Ideatis, vt propriæ omnium Ideatorum quidditatis cauſæ, & exemplaria.

Plotinus Enneade 5. li. 5 cap. 6.

CAPVT III.

Ideam Boni rectè poſitam à Platone, quatenus eſt ipſe Deus, omnium rerum Idea ſupereminens, & inadequata.

QVum Ideæ conferant ad rerum generationem, vti dictum eſt, iam oportet, quorum ſint Ideæ, enucleatè diſſerere. Idea ſanè vel eminentiſſimè conſideratur, & in hoc ſenſu eſt Deus Pater, vt in ſe ipſo præcisè intelligitur: vel eo rum eſt, quæ nata ſunt fieri, & hæc vel per Artem, vel per Naturam fiunt; quæ verò Naturâ fiunt, vel ſunt accidentia, vel ſubſtantiæ. Ideò in primis videndum eſt, num ſit Idea communiſſima, ſecundò num ſint Ideæ artificiatorum, & naturalium, poſtremò num ſubſtantiarum, & accidentium. Quoniam verò Idea Boni à Platone eminentiſſimè conſideratur, ideò nonnulla de Ideâ Boni dicenda ſunt. Ariſtoteles itaque in Platonicam Ideam Boni pluribus arguit: & quia nonnulla ex illis ſoluta ſunt, alia verò ex dicendis facilè ſoluũtur, quædam tantùm in medium afferam.

Ariſtot. 7. Eth. c. 6.

Prima obiectio. Vbi licet reperire prius, & poſterius, ibi communis Idea reperiri non poteſt. Sed in bonis rebus prius,

& po-

Digitized by Google

& poſterius inuenitur. Non igitur Idea Boni inuenitur. Maior patet ex ſententiâ eiuſdem Platonis, quippe qui aſſerit, eorum tantùm Ideam inueniri, quæ ſunt vna Natura, non autem eorum, quæ dicuntur ſecundum prius, & poſterius, & hac de causâ Ideam numerorum penitus reiecit. Minor probatur: quia eſt Bonum in Subſtantiâ, in Qualitate, in cæteris Prædicamentis.

Secunda. Bonum tot modis, quot Ens prædicatur. Sed Ens nullam habet communem Ideam: ergo nec Bonum. Confirmatur: quia Bono, vel Ente nihil vniuerſalius. *Bonum tot modis, quot Ens prædicatur.*

Tertia. Quorum non eſt vna ſcientia, non eſt vna Idea. Sed omnium Bonorum vna ſcientia non eſt: ergo neque vna Idea. Maior patet ex ſententiâ Platonis, qui & ſcientiæ gratiâ ponit Ideam, & vnam ponens Ideam, vnam ponit ſcientiam. Minor confirmatur: quia Bona ſunt in diuerſis generibus.

Quarta. Dantur multa per ſe bona. ergo non vnum per ſe bonum; hoc autem eſt Idea Boni ſecundum Platonem. Antecedens probatur. Illud per ſe bonum, quod per ſe appetitur. Multa per ſe appetuntur, vt ſapere, & huiuſmodi. Multa igitur per ſe bona. Confirmatur: quia ſi vnum eſt per ſe bonum, quod ſit Idea Boni: ergo vel cætera Bona ſuperuacanea ſunt; vel ſi dantur multa per ſe bona, non eſt dandum vnum per ſe Bonum. Probatur primum conſequens. Qui ſciet Ideam Boni, omnia ſciet per ſe bona. Cætera igitur ſuperuacanea. Probatur ſecundum. Si multa per ſe bona ſint, neceſſe eſt eamdem in illis Boni rationem exiſtere: quemadmodum eadem in niue, & ceruſsâ albedinis ratio eſt. At Honoris, Prudentiæ, Voluptatis, in eo quòd bona ſunt, differentes rationes reperiuntur. Ergo ſi dantur multa per ſe bona, non eſt dandum vnum per ſe Bonum. *Illud per ſe Bonũ, quod per ſe appetitur.*

Quinta. Idea Boni non confert ad actiones, & effectiones dirigendas, vt ait Plato. Ergo ſuperuacanea. Aſſumptum probatur: quoniam Artifex, aliquid efficiens, Ideam Boni non reſpicit, ſed proprium Bonum, & vtilitatem.

Verumtamen, vt Platonis ſententiam rectè explanemus, conſiderandum eſt, nonnullos Platonicos per Ideam Boni interpretari formam, ſiue Ideam, in diuinâ Mente conſiſtentẽ,

à cæteris Ideis diſtinctam. Ideo Platonem affirmaſſe, Ideam Boni in loco intelligibili regnare, nēpe in diuino Intellectu, qui locus eâ de cauſâ dicitur, quòd omnia contineat. Proinde Hebræi, & potiſſimum Cabaliſtæ, nomine loci Deum intelligunt, vt in illis verbis, Benedictus locus בָּרוּךְ הַמָּקוֹם. Sed ij Platonici plurimùm aberrant. Illud enim, quod eſt in vnaquâque Ideâ, formaliter dici non poteſt à cæteris Ideis diſtinctum. At Bonū, quemadmodum & Vnum, & Pulchrum, in quâlibet Ideâ reperitur: quarū ſingulæ Ideæ à Platonicis ipſis boniformes, vniformes, & pulchriformes appellantur. Non eſt itaque Idea Boni à cæteris diſtincta. Præterea: Plato de Ideâ Boni hæc profert: Cum ipſa in loco viſibili lumen creauerit, & luminis Authorem, in ipſo verò intelligibili regnet ipſa, Veritatemq; & Mentem protulerit. Inquit itaq; Plato, Ideam boni Mentem genuiſſe: ergo, ſi Idea Boni genuit Mentem, non vtique eſt in ipſâ Mente, vt Idea à cæteris diſtincta, quum potiùs dicendum eſſet, Mentem parere Ideas, dum parit Mentem. Confirmatur: quoniam, vt dictum eſt, Mens à Deo ſecundum Platonem diſtinguitur, non quidem re, ſed origine: propriè verò Ideas ponit in Mente, non in Deo Patre: quare, ſi Idea boni à cæteris diſtingueretur, eam ſanè Plato in Mente collocaſſet. At non conſtituit in Mente, ſed ſupra Mentem, & ideo non inter Ideas, ſed ſupra Ideas, non Idea diſtincta, & adæquata, ſed Idea ſupereminens, & inadæquata. Cuius ad notitiam recolenda ſunt, quæ diximus de Obiecto primario, & ſecundario. Etenim, ſi Deus in ſe, vt infinitus, vt vnus, & ſecundum ſeipſum præcisè conſideratur, ſic Deus in abdito ſuę Diuinitatis receſſu ſolitarius permanens, & in abyſſo primæ Vnitatis, ac primarum tenebrarum ſeſe contegens, nihil reſpicit extra ſe, nihil intelligimus ab eo procedere, nullam habet relationem ad Creaturas, & in hoc ſenſu nullas habet Ideas. Vt autem eſt Mundi Opifex, & ſingula procreat ad ſingulorum exemplarium ſimilitudinē, reſpicit omnia extra ſe, omnia operatur, & omnium Ideas continet. Ex quibus intelligi poteſt, cur dicant Cabaliſtæ, Deum indutum eſſe decem veſtimentis, quum ſęculum creauit. Siquidem, vt in ſe ipſo conſideratur, Ideas indutus non eſt,

Plat. 7. de Rep.

Singulæ Ideæ vniformes, boniformes, & pulchriformes.

Plato 7. de Rep.

Lib. 1.

Cur Deus apud Cabaliſtas decem indutus veſtimentis.

Digitized by Google

eſt, quum autem Mundum creare intelligimus, tunc Ideis, tamquàm pulcherrimis veſtimentis, effulget. Hinc in libro Danielis Prophetæ ſcriptum eſt: Aſpiciebam, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit. Veſtiméta eius quaſi nix candida, & capilli capitis eius quaſi lana munda. Nos per veſtimenta, quaſi nix candida, puriſſimas diuinas formas, & Ideas typicè interpretari poſſumus, quemadmodum etiam per verba illa, Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe. Deus enim, quum Mundum fabricauit, tunc in ipſo intelligibili regnans, id eſt, Ideis effulgens, Idearum decorem, & Maieſtatem, quin & fortitudinem indutus eſt: quòd ſcilicet cum immensá Idearum pulchritudine virtus concurrat immenſa. *Pſal. 92.* Et quia Deus, vt in ſe ipſo abſolutè conſideratur, in abyſſo primarum tenebrarum deliteſcit, hinc intelligi poteſt, quid ſibi velit Orpheus, quum Deum Noctem appellat, & Propheta, inquiens: Nox illuminatio mea in delitijs meis. & alibi: Deus poſuit tenebras latibulum ſuum. quin & aliàs: Nubes, & caligo in circuitu eius. Non quod profectò reuerâ tenebræ de Lumine immenſo affirmari poſſint: ſed quatenus, vt ait Damaſcenus, habent virtutem ſuperexcellentis negationis. Hinc etiam intelligi poteſt, cur vetuſtus ille Theologus inducat Opificem Mundi Noctem cõſulentem de opificio Mundano. Etenim diuina Mens, quum Mundum produxit, conſuluit Noctem, id eſt, diuinam Naturam. Conſuluit, inquam, ipſum Conſilium, quia diuina Natura eſt diuinæ Mentis ipſum Conſilium: & hinc patet, quare Plato in Sympoſio Porum appellauerit Angelum Conſilij. Porus enim ſignificat affluentiam Idearum, id eſt, diuinam Mentem, Idearum plenam diuitijs. Ideò inquit, Amorem natum eſſe in nuptijs Pori, & Pæniæ, Veneriſq; natalibus: Quando ſcilicet Pænia, id eſt Latinè Paupertas, typicè verò Natura informis Mentium inferiorũ, ſiue Angelorum per ſupercœleſtes nuptias cum Poro copulata eſt, nempe cum diuinâ Mente, à quá Idearum affluentiam ſuſcepit, id eſt, formas intelligibiles: tunc Venus nata eſt, nempe in Angelicá Naturá Idealis Pulchritudo, pariterq; Amor natus eſt, nempe Amor diuinæ ſuperexcedentis Idealis Pulchritudinis. Propterea

Lib. 1. Sent. ſua Theologia.

pterea Ieſus Chriſtus Magni Conſilij Angelus, & Angelus Teſtamenti vocatur; Chaldæi dixerunt, Intellectum Patris emanâſſe perfecto conſilio: Auicenna verò, Platonis imitator, primam cauſam Cauſam conſiliatiuam nuncupauit. Diuina etiam Natura, vt in ſe ipsâ præcisè conſideratur, Primum inſtans originis ſecundum Scotum, Primum ſignum Naturæ ſecundum alios, vniuersè autem ſecundum Theologos Obiectum primarium appellatur: ſi verò conſideretur, vt alia reſpicit extra ſe, & Ideas continet, Secundum inſtans originis iuxta Scotum, Secundum ſignum Naturę iuxta alios, vniuersè autē iuxta Theologos Secundarium Obiectum nuncupatur.

Iſ. 9. Mal. 3. & à D. Dionyſ.

Sed hactenus de Deo, ſiue vt ſolitariè, ſiue ut Ideis plenus intelligitur, plura fortaſsè, quàm oporteat: ſed ijs non plura, qui oderunt aut nimis auſteram, aut nimis amœnam, impenſe uero amant magnis undequaque ditatam diuitijs doctiorem Philoſophiam.

Paucis nunc ad rei euidentiam adnotandæ ſunt aliquæ diſtinctiones.

Idea Boni genuit Mētem.

Prima Diſtinctio. Deus uel ſupponit pro totâ diuinâ Naturâ, uel pro Deo Patre. Plato, quando inquit, Deum eſſe Ideam Boni, non accipit Deum, quatenus ſupponit pro totâ diuinâ Naturâ, ſed ut ſupponit pro Deo Patre. Idcircò ait, Ideam Boni genuiſſe Mentem.

Secunda. Deus Pater, uel conſideratur, ut habet ingenitas Ideas, Mundumq; creauit; uel conſideratur præcisè in ſuo Diuinitatis receſſu. Non in primo ſenſu loquitur Plato, ſed in ſecundo. Deus enim Pater, qui Mentem genuit, ut in ſe ipſo præcisè conſideratur, non habet Ideas, & quum Ideas nō habeat, nec dici pōt Idea à cæteris diſtincta: Et quū nihil adęquatè repræſentet, nēpe uel hominē, uel equum, uel hoc, uel illud Bonum, non eſt Idea rerum, bonorumq; adæquata. Quoniam tamen eſt forma formarum, ideò eſt Idea Idearum: & quoniam eſt ipſum per ſe Bonum, dum ſe ipſum repræſentat, ipſum Bonum omnia bona per eminentiſſimam, & inadæquatam Vnitatem comprehendens repræſentat, & ideò iure, ac meritò Idea Boni nuncupatur.

Tertia. Idea vel ſtrictè ſignificat principium cognitionis, & opera-

operationis, vel latè quālibet expreſſionem, ſiue repræſentationem. Plato, quando inquit, Deum Patrem eſſe Ideam Boni, non intelligit, Patrem eſſe principium tam cognitionis, quàm effectionis ipſius Boni, ſiue omnia bona, quę ſunt in Creaturis, ipſum producere; ſed intelligit, Patrem, quia cognoſcit ſe ipſum, alioquin foret inſipientiſſimus, ſe ipſum ſibimet ipſi exprimere, ac repræſentare, vt ſe ipſum cognoſcat.

Quarta. Bonum vel ſumitur pro communicatione diuinæ Bonitatis in Creaturis, vel pro ipsâ paternâ Ingeneratione. In ſecundo, non in primo ſenſu loquitur Plato. Ratio eſt: quia, vt alibi diximus, Boni proprium eſt, ſe ipſum diffundere. Solus autem Pater ſe ipſum in Filio diffudit, non Filius in Patre. Pater enim ingenitus, Filius genitus eſt. Quamobrem Deus Pater, quatenus Bonum in hoc ſenſu Patri appropriatur, ſolus & ipſum Bonum, & Idea Boni vocatur, Filius nequaquam. Quando igitur inquit Plato, Deum Patrem eſſe Ideam Boni, idem eſt ac ſi latiùs diceret, Patrem ſe ipſum per ſe ipſum cognoſcere, ac repræſentare, quatenus à nullo eſt, Filius eſt ab illo.

Quomodo Deus Pater Idea Boni.

Ex diſtinctionibus elicio Concluſionem. Deus, vt ſupponit pro Patre, in ſuo Diuinitatis receſſu præciſè conſiderato ſine vllâ habitudine ad Creaturas, eſt Idea, id eſt, expreſſio, repræſentatio, cognitio Boni, id eſt, ſui ipſius, qui dumtaxat eſt ipſum Bonum, quatenus ſe ipſum in Filio diffudit, non Filius in ipſo.

Ad argumenta denique Ariſtotelis ſic reſpondendum erit.

Ad 1. negatur minor propoſitio. Licèt enim prius, & poſterius in Bonis huius Mundi reperiatur, non tamen in Bono, quod eſt ipſe Deus. Dicere autem Ideam Boni, idem eſt ac ſi diceretur Idea ſui ipſius, Deus enim eſt ipſum Bonum. Vel dicitur, Platonem non loqui de Bono tranſcēdente, quod omne genus circuit, verùm de ſupremo Bono ſuperſubſtantiali, quod eſt ipſe Pater in diuinis. Hinc patet reſponſio ad 2. & 3. Argumentum.

Duplex Bonum, Trāſcendens, & Superſubſtantiale.

Ad 4. Dicitur, multa eſſe per ſe bona, quia ſcilicet per ſe appetuntur, ſed nullum eorum per ſe primò eminenter, & omninò, niſi Deus, & hæc eſt illa Idea per ſe bona, quâ cætera ſunt per ſe bona, & ideò ponenda eſt. Ex his patet reſponſio ad primum conſequens confirmationis iſtius Argumenti. Ad poſtre-

Digitized by Google

poſtremum verò conſequens reſpondetur, Argumentum æquiuocare de Bono tranſcendente, & de Bono ſupremo, quod eſt ipſe Deus Pater, quod quidem Bonum, vt in ſe ipſo præcisè conſideratur, in nulla bona creata ſeſe communicat, ſed tantùm in Filium genitum ſeſe diffundit, ſuam illi Naturam communicans: & ideò, vt huiuſmodi, neque ſecundum eamdem, neque ſecundum diuerſas rationes, in ijs, quæ bona ſunt, inuenitur.

Plato 7. de Rep.

Ad V. negatur, Platonem aſſerere Ideam Boni vel Fabris vel Textoribus, atque id generis Opificibus neceſſariam eſſe. Dicit quidem humanis actionibus neceſſariam eſſe, in hæc verba: Quam noſſe neceſſe ſit omnem quicũque ſanâ Mẽte quidquam vel priuatum, vel publicè eſt acturus. At de effectionibus nec verbum quidem: Plurimùm autẽ intereſt inter actionem, & effectionẽ. Porrò Idea Boni neceſſaria eſt ad noſtras actiones rectè obeundas, quia niſi diuina Bonitas nos foueat, ſeruet, inſpiret, niſi Deo ſimiles fieri nitamur, niſi Opificem noſtrũ vt noſtrum finem, & ſummum Bonum præ oculis ſemper habeamus, nihil rectè agere valemus.

Non eſt cõmunis Idea Boni à cæteris diſtincta.

Illud poſtremò prætereundum non eſt, Ariſtotelis Argumenta eò tendere, vt probent, non eſſe quamdam communem Ideam Boni, quæ ſit Idea, à cæteris Ideis diſtincta: hoc autem Plato non affirmat; & ideò in hoc ſenſu nulla eſt inter illos diſcrepantia. Non differunt etiam quantum ad abſolutam Ideæ Boni poſitionem. Quamuis enim Plato pro Ideâ Boni propriè ſecundũ modum eminẽtiſſimæ appropriationis ſolum Deum Patrem intelligat, attamen abſolutè haud negat, Deum, vt ſupponit pro totâ diuinâ Naturâ, Ideam Boni non eſſe. Nam & Pater Deus eſt, & Filius Deus eſt ex ſententiâ Platonis, & Filius ipſe, quatenus eſt idem ſubſtantiâ cum Patre, Idea quoque Boni nuncupatur. Ariſtoteles verò affirmat, Deum eſſe ipſum Bonum, & ſe ipſum cognoſcere. Cæterùm quid aliud eſt dicere, Deus eſt ipſum Bonum, ſe ipſum cognoſcens, quàm dicere, Deus eſt Idea Boni? Quippe ſecũdum Platonem Deus eſt Idea Boni, quatenus eſt expreſſio, repræſentatio, cognitio ſui ipſius per ſe ipſum, prout Boni diuiniſſimi, & omnem narrationem excedentis. In eo tamen differunt, quòd Ariſt. Trinitatem non cognouit.

In fine lib. 12. Met.

CA-

CAPVT IIII.

Non eſſe peculiares Ideas rerum, arte factarum, ſed tantum naturalium.

QVum Dei cognitionem nihil fugere debeat, cognitionem, inquam, omninò diſtinctam, alioquin eius cognitio foret imperfecta, quod nec concipi poteſt quidem, neceſſe eſt affirmare, Deum quoque habere Ideas rerum arte factarum. Idcircò Plato inquit, Deum vnicum lectum conſtituiſſe, vniusq; lecti vnam Ideam habere. Non me latet, Marſilium Ficinum, virum doctiſſimum, opinari, Platonem de lecto exempli gratiâ loquutum fuiſſe, non vt aſſereret, Ideas eſſe rerum arte factarum, ſed vt aſſereret, ita ſeſe habere Ideas rerum naturalium, quemadmodum ſeſe haberet Idea lecti, ſi concederetur. At re verâ ſi tantùm exempli vim apud Platonem lectus haberet, hoc ideò poſitum eſſet, quia res naturales apertiùs explicaret: quod fatuum dictu eſt. Cur enim potiùs vel hominem, vel equum in medium non attuliſſet, quum hæc ſuâpte Naturâ manifeſtiora ſint, quam lecti exemplum, exemplum verò ad remouendam obſcuritatem adhibeatur? Dicendum itaque, non eſſe aliquas Ideas formaliter ab alijs diſtinctas, quæ per proprias rationes artificiata repræſentent. Cauſa eſt: quia in rebus naturalibus quidditas rerum, quæ arte fiũt, manifeſtatur: & ideò, quia naturalia ſufficienter artificioſa manifeſtant, non requiruntur aliæ Ideæ, quàm illæ, quæ naturalia repræſentant. Confirmatur: quoniam artificioſa nil aliud ſunt, quàm Naturæ imitationes: quare illud protritum eſt: Ars imitatur Naturam. Accedit alia cauſa, quam affert Plotinus: In Animâ rationali quidditas rerum, quæ arte fiunt, virtute continetur, quum artificioſa proueniant à rationibus, numeris, & menſuris Animæ rationalis. Anima verò, vt eſt ſufficiens principium effectionis artificiatorum: ita eſt ſufficiens principium ea cognoſcendi. Quamobrem Idea Animæ rationalis, quæ ſufficienter exprimit Animam, ſufficienter & exprimit artificioſa: Idcircò aliæ artificiatorum Ideæ non requiruntur præter Ideas rerum, Naturâ conſtantium. Vna eſt itaque formaliter Idea rem exprimens naturalem, & artificioſam. Et

Plato 10. de Rep.

Artificioſa nil aliud, quàm Naturæ imitationes.

Plotinus lib. de Ideis cap. 11.

Q in hoc

in hoc ſenſu Artificioſa habent Ideas, & Plato rectè loquutus eſt. Quatenus verò non habent peculiares Ideas, rectè Xenocrates Ideas definiuit Cauſas exemplares eorum, quæ ſecundum Naturam fiunt, vt ſcilicet Artificioſa excluderet.

Artificioſa non habent peculiares Ideas.

Supereſt igitur, Ideas proprias, & peculiares rerum tantùm naturalium in diuinâ Mente reperiri. Quod patet: quia Deus ea neſcire non debet, quæ fecit: omnia verò naturalia ſapientiſſimè creauit.

CAPVT V.

Proprias accidentium Ideas eſſe, & non eſſe.

Ariſt. 1. Met. t. 29. & 30.

Accidentium Ideæ penitus eſſe, & ſimul penitus non eſſe videntur, quum Ariſt. id probauerit, Platonem ad inconueniens deducere contēdens. Argumentū eſt huiuſmodi. Quorum vna eſt communis notio, & ſcientia, eorum vna eſt Idea, vt idem Plato affirmat. Accidentium eſt vna communis notio, & ſcientia: ergo & Idea. Verumtamen ex ſententiâ eiuſdem Platonis Ideæ ratio in eo conſiſtit, vt Ideæ ab Ideatis participentur: ergo accidentium non ſunt Ideæ. Conſequens probatur. Quæ ſunt ſecundum accidens, non participantur: Ideæ accidentium ſunt Ideæ per accidens, id eſt, ratione ſubſtantiæ: ergo Ideæ accidentium non participantur &c.

13. Met.

Plato in Parmenide, aliiſq. Dialogis.

Dicendum eſt, Platonem affirmâſſe Ideas accidentium, non autem negâſſe, vt Ariſtoteles illi impingere conatur. Propterea idem Ariſtoteles obiicit Platoni, quòd relatiuorum ponat Ideas. Etenim Plato Ideam æqualitatis, Ideam ſimilitudinis, & huiuſmodi aſſeuerat. Quoniam itaque propriè competit formæ, formam rei tribuere, Idea quoque forma eſt, quæ formam rei tribuit per imitationem. Idea verò accidentis propria tribuit accidenti proprium eſſe formale, diſtinctum ab eſſe ſubſtantiæ, & ideò apud Ariſtotelem vulgatiſſima eſt diuiſio illa inter formas accidētarias, & ſubſtantiales. Quum autem accidens habeat proprium eſſe peculiare, manifeſtè ſequitur, proprium habere definibilem quidditatiuum conceptum, in reali Naturæ gradu, a ſubſtantiâ diſtincto, fundamen-

damentaliter conſiſtentem: quod patet. quia ſimpliciter aliud eſt eſſe accidentis, aliud eſſe ſubſtantiæ. Ex quibus conſtat, accidentia, ſicut habent peculiarem quidditatiuum conceptum, ita peculiarem Ideam obtinere. Vnde quàm diligentiſsimè conſideremus, Ideam, quoniam ad duo confert, & ad ſcientiam, & ad generationem, duobus quoque modis ſeſe habere, tùm quatenus eſt Ratio, tùm quatenus eſt Exemplar. Quatenus eſt Exemplar, tam per eam res cognoſcitur, quàm operatur, vnde vtrumque modum & cognitionis, & operationis comprehendit: hic autem eſt proprius Ideæ conceptus, & quidditas. Quatenus eſt ratio, per eam dumtaxat res cognoſcitur, non efficitur: & hoc non incongruit, quia res aliquâ cognoſci poteſt, quæ non fiat. Hæc verò diuiſio ſufficiens oſtenditur: quia Idea reperiri non poteſt, quæ tantùm ſit cauſa efficiens: alioquin ſequeretur, illud effici poſſe, quod non cognoſcitur. Accidentia quoque, vt diſtinctè loquamur, duobus modis conſideremus, vel quantum ad eſſe eſſentiæ; vel quantum ad eſſe exiſtentiæ. Illud intelligo proprium eſſe, ac peculiare ab eo, quod habet ſubſtantia, re ipsâ diſtinctum, hoc intelligo eſſe, quod habent in ſubſtantiâ: accidentis enim eſt ineſſe, vt ait Ariſt. in Prædicamentis. Quod itaq; e ſpectat ad eſſe eſſentiæ, accidentia propriam obtinent Ideam, vt rationem. Cauſa: quia eorum eſt diſtinctus conceptus, in quib. Naturę gradus intimè, ac realiter diſtinguuntur. Sed accidentia habent propriū eſſe, intimè, ac realiter diſtinctum ab eſſe ſubſtantiæ: quare propriam habent Ideam, vt eſt conceptus, ſiue ratio. Inſuper quantum ad eſſe eſſentiæ, ſi hoc præcisè conſideretur, habent propriam Ideam, vt exemplar. Cauſa; quia producuntur in eſſe eſſentiæ limitato, ac realiter ab eſſe ſubſtantiæ diſtincto; vbicumque autem eſſe eſſentiæ diſtinctum eſt, Idea quoque diſtincta eſt, vt exemplar. Quod ſpectat ad eſſe exiſtentiæ, accidentia non habent propriam Ideam, vt rationem. Cauſa: quia ſicut res ſeſe habet ad eſſe, ita ad cognitionem, vt dicitur 7. Met. At accidentia non exiſtunt, niſi per ſubſtantiam; quare neque cognoſcuntur, niſi per ſubſtantiam. Inſuper quantum ad eſſe exiſtentiæ non habent propriam Ideam, vt exemplar. Cauſa; quia producta non exiſtunt niſi in ſubſtantiâ; quum enim accidentia

Idea ſeſe habet vt ratio atque vt exēplar.

Vbicumque eſſe eſſentia diſtinctū eſt, Idea quoque diſtincta eſt.

cidentis ſit ineſſe, non exiſtunt, niſi in ſubſtātiā. Ex quibus patet, omnia accidentia, vel quæ ſeparari poſſunt, vel quæ ſeparari nequeunt, quantum ad eſſe eſſentiæ, non modò habere propriam Ideam, vt Rationem, ſed vt Exemplar. Et in hoc ſenſu dici poteſt, Diuum Thomam intelligendum, quando inquit, accidentia, quæ ſuperueniunt ſubiecto, peculiarem Ideam obtinere. Conſtat etiam, vel ſint inſeparabilia, vel ſeparabilia, quantum ad eſſe exiſtentiæ, nullā habere propriam Ideam, nec quatenus Rationem, nec quatenus Exēplar. Et in hoc ſenſu dici poteſt, D. Thomam intelligendum, quando inquit, accidentia, quæ ſubiectum concomitantur, peculiarem Ideam obtinere.

Ad Ariſtotelis Argumentum reſpondetur, cōcedendo, Accidentium eſſe Ideam, quoniam eorum eſt vna notio, vnaq. ſcientia. Negatur verò Ideas ab accidentibus non participari: Participantur, ſed more accidentium, non ſubſtantiarum, & ideò quantum ad proprium eſſe eſſentię, accidentia non habent Ideam per accidens, ſed per ſe, & peculiarem. Ad probationem conſequentis reſpondetur, nil aliud probari, niſi accidentia, quantum ad eſſe exiſtentiæ, propriam Ideam non obtinere, & id libentiſſimè conceditur. Hoc eſt, quod Ariſtoteles impugnat: hoc eſt, quòd Plato non affirmat. Cæterùm illud ſemper rectè ſeſe habet, Ideas quantum ad eſſe eſſentiæ propriam Ideam obtinere; & in hoc ſenſu loquitur Plato, neque id alienum ab Ariſtotele, qui Ens per ſe diuidit in decem Prædicamenta, quorum plura conſtat eſſe accidentia, vt Relationes, de quibus Plato potiſſimùm loquutus eſt.

CAPVT VI.

Singularia proprias habere Ideas, ſpecies quantum ad eſſe eſſentia dumtaxat, Platonem verò Ideas ſingularium conſtituere.

Idea potiſſimùm ſubſtātiarum.

QVum ex dictis manifeſtè colligatur, accidentia, quantum ad eſſe exiſtentiæ, per Ideam ſubſtantiæ cognoſci, reliquum eſt, vt Ideæ propriè, ac potiſſimùm ad ſubſtantias pertineant. Quum autem ſubſtantiæ vel ſint ipſum compoſitum, vel materia, vel forma, materia verò tùm per cōpoſitum, tùm

per

Digitized by Google

per formam cognoſcatur, videndum in primis, num tantùm ſint Ideæ ſpecierum, vel etiam ſingularium.

Specierum tantùm eſſe Ideas, id ſanè communi aſſertione Platoni tribuitur, & ab eo in exemplo lecti luculenter explicatum fuiſſe nonulli aſſeuerant, quo ſcilicet probat vnius ſpeciei vnicam eſſe Ideam, hoc ſanè Argumento:

In materiá, vbi eſt innumera, & mobilis varietas, vnio cõis Naturę ĩ ſingulis hoĩbus ſeruatur: ergo multò magis in ſimplici, ac penitus ſtabili Naturá, pro vnicá ſpecie vnica ſufficit Idea.

Sed & aliæ rationes non deſunt. Singularia ſemper non ſunt. Aut igitur habent Ideam ſempiternam, aut quandoque habent, quandoque non habent. Nõ primum, quia de eo, quod non eſt, ſcientia nõn eſt. Non ſecundum quia Ideæ ſunt omninò immutabiles. Singularia igitur, vt ſingularia, non habent Ideam: ergo ſolæ ſpecies obtinent Ideam. Confirmatur: quoniam ſpecies naturales ſunt immutabiles, & æternæ veritatis.

Præterea: Idea diuina eſt omnium nobiliſſima, ſingularia vilia ſunt, ſpecies nequaquam. Ergo ſpeciei, non ſingularium ſunt Ideæ. Confirmatur: quoniam ſi vile, quod ſcitur, vilis quoque ſcientia.

Ex Platonis itaque ſententiá ſpecierum dumtaxat Ideæ eſſe videntur. Sed tantùm abeſt, vt ſpecies dũtaxat proprias Ideas obtineant, quin per Ideas tantùm ſingularium cognoſci videntur, vt probat Suarez, & Molina, hiſce propemodũ Argumẽtis.

I. Argumentum. Deus non habet conceptus confuſos, quippe qui omnia, prout ſunt, diſtinctiſſimè intelligit. At ſi haberet conceptum ſpeciei, confuſum, & imperfectum cõceptum formaret. Probatur: quia conceptus vniuerſaliũ eſt cõceptus cõfuſus, & imperfectus. Ergo nõ habet cõceptum, ſiue Ideã ſpeciei. *Conceptus vniuerſaliũ conceptus confuſus.*

II. Deus intelligit res, vt ſunt. At Naturæ tùm generis, tùm ſpeciei nullibi ſunt, niſi in ſingulari, & indiuiduá Naturá: & ideò inquit Ariſtoteles: Vniuerſale aut nihil eſt, aut poſterius, ſingularibus videlicet, in quibus conſiſtit. Ergo intelligens indiuidua, intelligit ſpeciẽ: ergo non habet propriã Ideã ſpeciei. *Ariſt. 1. de Anima.t.8.*

III. Deus non abſtrahit vniuerſalia à ſingularibus. Ergo non habet Ideam ſpeciei, diſtinctam ab Ideá ſingularium. Antecedens patet: quia cognoſcit res, prout ſunt, vniuerſalia verò per noſtrum Intellectum ſolùm abſtrahuntur.

Dicen-

Dicendum eſt, ſingularium Ideas in Deo neceſſariò conſtituendas. Primò: quia Deus cognoſcit, quæ fecit: vnde illud protritum in Scholis Theologorum: Cognitio noſtra à rebus producitur, diuina res producit. At fecit ſingularia: cognoſcit itaque ſingularia. Sed neque cognoſcit, neque operatur, niſi per Ideas. Habet igitur ſingularium Ideas. Secundò: quia ſicut ex omnibus, quæ ſunt, oportet aſcendere ad primum Ens, quod ſeipſo eſt, & quo cætera ſunt, & ſicut ex numeris oportet aſcendere ad primam Vnitatem, à quâ omnes numeri emanant, ita ex omnibus intelligibilibus oportet aſcendere ad vnum primum Intelligibile, in cuius lumine cætera intelligibilia intelligantur. At quemadmodum Deus, quia eſt primum Ens, omnium Entium gradus in ſe ipſo, quatenus in fonte, comprehendit, & quemadmodum, quia eſt prima Vnitas, omnes numeros continet in ſeipſo, quatenus omnium numerorum origine; ita quia eſt primum Intelligibile, oportet vt omnia Intelligibilia contineat. Quomodo autem omnia intelligibilia in ſe ipſo continebit, niſi contineat ſingularia? Quòd ſi dicatur, ſolam ſpeciei Ideam ſufficere, hoc fatuum dictu eſt: nam illa quidem ſpecificam Naturam, ſed non vtique indiuidualem repræſentabit. Cæterùm ad rei maiorem euidentiam recolenda ſunt, quæ diximus in ſuperiore capite huius libri, atque adnotandum, ſpeciem duobus modis conſiderari poſſe, vel quantum ad eſſe eſſentiæ, vel quantum ad eſſe exiſtentiæ. Illud intelligo proprium realem Naturæ gradum, ſecundum quem ſpecies intimè, ac realiter ab indiuiduis diſtinguitur; hoc intelligo eſſe, quod habet ſpecies in ipſis indiuiduis. Quod itaque pertinet ad eſſe eſſentiæ, ſpecies habet propriam Ideam, vt Rationem. Cauſa: quia illorum eſt propria, & diſtincta Idea, in quibus Naturæ gradus intimè, ac realiter diſtinguuntur. Species verò intimè, & realiter ab indiuiduis diſtinguitur. Quippe habet reales differentias, ipſam in proprio limitato eſſe conſtituentes, & vnâ diſtinguentes, per realem Naturæ gradûs diſtinctionem à ſingularibus; & ideò intrinſecè non habet differentias indiuiduantes, verùm ſpecificas; indiuidua verò præter ſpecificas indiuiduales quoque differentias comprehendunt. Vnde, quoniam habet proprium realem Naturæ gradum, ex hoc ſequitur,

Cognitio noſtra à rebus producitur, diuina res producit.

Illorum eſt propria Idea, in quib. Naturæ gradus intimè, ac realiter diſtinguũtur.

quitur, eam quoque habere proprium adæquatum conceptũ, ipſam in ſe ipſâ dilucidè exprimentem. Idcircò homo proprium habet definibilem conceptum, ita ſibi adæquatum, vt vel Socrati, vel Platoni adæquari non poſſit. Quamobrem Deus habet Ideam ſpeciei, vt propriam ſpeciei rationem, ſiue vt proprium adæquatum conceptum. Inſuper quantùm ad eſſe eſſentiæ, ſi præcisè conſideretur, ſpecies habet propriam Ideam, vt exemplar. Ratio eſt: quia ſpecies à Deo producitur in eſſe eſſentiæ determinato, atque ab indiuiduis intimè, ac reali Naturæ gradûs differentiâ diſtincto. Vbicumque autè eſſe eſſentiæ realiter diſtinctum producitur, eſt quoque Idea diſtincta, vt exemplar. Quod ſpectat ad eſſe eſſentiæ, ſpecies non habet propriam Ideam, neque vt rationem, neque vt exemplar. Cauſa: quia producta non exiſtit niſi in ſingularibus, vndè quum ſolùm exiſtat in ſingularibus, oportet, vt ſolùm ex ſingularibus cognoſcatur.

Species producta nõ exiſtit niſi in ſingularib.

Ad Argumentum Platonis reſpondetur, nil aliud probari, niſi vnius ſpeciei ita eſſe in Deo vnicam Ideam, quemadmodum plurium ſingularium eſt vnica ſpecies in materiâ. Sed num ex hoc infertur, Ideam ſingularium non reperiri? Minimè quidem. Nam & vnius ſpeciei vna Idea eſſe poteſt, & plurium ſingularium plures Ideæ. Verumtamen, vt Platonis ſententiam patefaciam, adnoto, Platonem, qui diuinam prouidentiam plenis, vt aiunt, faucibus, & laudat, & tuetur, affirmâſſe, Deum ſingulis rebus prouidere in hæc verba: Caueamus autem, ne Deum mortalibus Opificibus viliorem putemus. Iſti ſanè quantò peritiores ſunt, tantò arte vnâ in proprijs ipſorum operibus & pauca ſimul, & magna exquiſitiùs abſolutiùsq; perficiunt: Deus verò, qui ſapientiſſimus eſt, & curare poteſt, ac vult, magnis quidem prouidebit ſolùm, parua autem, quæ faciliùs gubernari poſſunt, propter pigritiam, & ignauiam negliget? At paulò poſt: Huic adoleſcenti perſuadeamus, eum, qui toti prouidet, ad virtutem, ſalutemq; totius omnia ordinare, cuius pars quæque pro viribus quod ſibi conuenit & agit, & patitur. Propterea & in eodem Dialogo, & in vniuersâ ipſius Philoſophiâ aſſeuerat, ſingulas Animas, prout vel bonæ vel malæ fuerint, vel præmium, vel pœnam à ſupercœleſti Numine ſubituras: & vt plura

10. de Legib.

ra dicam, exactam, vniuerſalem, & ſingula fouentem, ac ſeruantem prouidentiam ſatis, ſuperq́; confirmat. At Deus quomodo ſingulis rebus prouidere poteſt, niſi ſingula cognoſcat? Si verò ſecundum Platonem alia extra ſe non cognoſcit, niſi per Ideas, ergo ſigillatim habet omnium ſingularium Ideas, ſaltem vt Idea eſt ratio cognitionis. Quòd ſi ex ſententia eiuſdem Platonis Deus eſt rerum omnium Opifex præſtantiſſimus, non poteſt autem Opifex eſſe, niſi per Ideas intellectuales, equidem patet, Deum ſingularium Ideas habere, non ſolùm vt rationes, ſed etiam vt exemplaria? Deum autem omnium rerum Opificem eſſe quis ambigat? Nonne ſingulos orbes, ſingulas ſtellas creauit? Verba in Timæo hoc teſtantur: Cùm verò ſtellarum huiuſmodi corpora ſeptem feciſſet Deus, ſeptem orbibus, qui alterius, ipſius, diuerſæq́; Naturæ voluuntur, adhibuit. Nonne ſingula Elementa confecit? Verba in Timęo hoc teſtātur: Ex omni quippe Igne, Aëre, Aquâ, Terrâ ipſius Faber ita Mundum compoſuit. Quæ autem maior ratio, quod ſingula Elementa procreauerit, ſingula verò ex Elementis compoſita non producat? Nonne dicitur in Timæo, ita Deum omnia viuentia Idealia, quę intelligentiâ percipiuntur, vt potè Mundum intelligibilem, continere, quemadmodum hic Mundus nos, & ſingula continet animantia? Verba hoc teſtantur: Illud ſiquidem viuentia omnia, quæ ſolâ mente percipiuntur, in ſe ipſo complectitur, quemadmodum Mundus hic nos, & cętera, quæ cernuntur, animantia continet. At Mundus ſenſibilis omnia viuentia, vt plura ſingularia, omninò, ſigillatim, diſtinctiſſimè comprehendit: Ergo Mundus intelligibilis omnia viuentia, vt plura ſingularia, omninò, ſigillatim, diſtinctiſſimè comprehendit: ergo rerum ſingularium propriè, & cōpletè habet Ideas. Præterea: ſi Deus ſecundùm Platonē, vt dictū eſt, intelligibili, & ineffabili quâdā præsētiâ quādoque adeſt verè ſapientum mentibus, quum ſe, quantum licuit, à corpore remouerunt, nonne ſaltem Ideas habebit eorum ſingularium, quæ ad viſionem beatiſſimam veluti rapidiſſimo coruſcamine lumen intermicans, eleuari dignatur? Aduerſus tamen ſententiam meam duplex emergit dubitatio. Prima: Omnes Platonis Interpretes affirmâſſe ex illius ſententiâ, Ideas tantùm ſpecierum, non ſingularium. Secūda: Platonem in Timæo

Deus omniū Opifex ſecundum Platonem.

Mundus tàm intelligibilis, quàm ſenſibilis omnia comprehendit.

1. cap. huius libri.

mæo manifeſtè dixiſſe, Mundum à Deo procreatum, & omnia, quæ illo continētur vſque ad Animam rationalem, cętera verò, & humanum corpus, & ſingula animantia à minoribus Dijs fabrefacta, quibus Deus ipſe curam demandauit. Vnde non Deus, at Dij minores haberent proprias Ideas ſingulorum corporum, & animantium. Ad primam primò reſpondetur, decernendum rationibus, non authoritatibus: Secundò, Platonicos in eā aſſertione ſibi contradicere, quum & Proclus, & Marſilius Ficinus ſingularū Animarū Ideas cōſtituūt, Numenium verò, Cronium, & Amelium intellectualium ſubſtantiarum, ſiue Angelorum Ideas ponere, licèt neget Porphyrius. Ad poſtremam dubitationem dicendum eſt, aliquem aliqua creare duobus modis intelligi poſſe, vel primò, & per ſe, vel tantùm miniſterio. Plato inquit, minora Numina ſingula corpora, & animantia creaſſe, ſed tātùm miniſterio; ideò ſingularium verum Opificem, non minora Numina, ſed ipſum Deum conſtituit. Quod ſanè patet, Primò: quia Deus illis minoribus Dijs Deorum ita loquitur: Hæc verò, ſi a me fiant ſolo, Dijs adæquabuntur. Quapropter accedite vos ſecundum Naturam &c. Etenim per verba illa: Si a me fiant ſolo, manifeſtè includit ſeipſum. Nam dictio Solus omnia excludit; dictio verò Non ſolus includit ſanè alios, ſed non excludit ſeipſum. Poſtremò: quia partes ſingulorum corporum non à Dijs tantùm, ſed ab ipſo Deo fabrefactas aſſeuerat. Primò in illis verbis, dum loquitur de oculis: Maximum verò opus, cuius gratiā vtiliter à Deo donati ſunt, deinceps explicandum cenſet. Secundò in illis verbis: Ob hanc potiſſimùm rationem Deum oculos genuiſſe. Tertiò in illis quoque verbis: Conuerſiones Dei, quæ ſine vllo errore aguntur, imitemur. Deus igitur ſecundum Platonem ſingula corpora, & animantia fabricauit. Quòd ſi ita eſt, vel ipſe Deus fuit miniſter opificij, & minora Numina veri Opifices, vel Deus uerus Opifex, & Dij opificij miniſtri. Primum aſſerere extremæ dementiæ eſt: quapropter ſecundum affirmare oportet. Plato autem, ita rectè explicatus, à ſacris Theologis non diſſentit. Plato enim per minora Numina Angelos intelligit: ſed hoc ſufficit modò indicare. Angeli uerò corpora, quæ Naturā conſtāt, in Mūdi creatione per ſe creare

Proclus, & Marſilius ſingularū Ideas conſtituunt.

Deus ſecūdū Platonē ſingula corpora fabricauit.

R non

D. Aug. lib. 9. Gen c. 15. & D. Tho. 1. p. q. 14. ar. 3.
Idem Aug. li 8. Gē c. 24
Ipſe quoque Aug. lib. 9. Gen. c. 15.
1. p. q. 91. ar. 2. in reſpon. ad 1.

non potuerunt, quoniam creatio ad ſolum Deum, non ad Angelum ſpectat, vt inquit D. Auguſt. & Thomas. Quoniam tamē omnis materia, & corporea Natura, Authore eodem Auguſt. in cap. 24. Angelorum voluntati, & imperio ſubiecta eſt, propterea, Authore ipſo quoque Auguſtino, potuit Angelus naturalia corpora efficere, non quidem per ſe, at miniſtrando, adhibendo, & inuicem coaptando cauſas naturales, eo ſcilicet modo, quo Agricola ſegetes creare, & vinum generare, Medicus item propulſare morbos, & ſanitatem efficere dicitur. Quod approbans D. Thomas ita loquitur: Potuit tamen fieri, vt aliquod miniſteriū in formatione corporis primi hominis Angeli exhiberent, ſicut exhibebunt in vltimâ reſurrectione, pulueres colligendo.

Ad alias rationes pro ſententiâ, quæ Platoni tribuitur, ita reſpondetur, & primò ad primam. Singularia habent Ideas in Deo, prout ſunt; quia omnia ſunt præſentia Deo propter æternitatem. Per Ideam ſempiternam cognoſcuntur, quia ſunt diuina ipſa Natura, per quam repræſentantur. Quamuis autem in hoc Mundo ſemper non ſint, in Deo tamen ſemper ſunt. Nec tamen ſequitur, ergo aliter videntur, quam ſint: quia licèt quantum ad repræſentationem videantur, vt ſemper non ſunt, attamen quantum ad eſſe, quod habent in Deo, vt ſemper ſunt conſpiciuntur. Quemadmodum enim, ſi aliqua æterna imago in aliquo æterno ſpeculo inueniretur, quæ leonem in ſuo particulari, & corruptibili ſtatu repræſentaret, per illam quidem imaginem leo exprimeretur, vt ſemper non eſt in rerum Naturâ, ſed tamen ſemper eſſet, quia eſſet æternus, non ſecus atque ſpeculum; & hoc pacto de leone æterna ſcientia, immutabiliſque Idea ſtatueretur: ita, quoniā diuina Natura eſt perfectiſſimum omnium ſingularium ſpeculum, & exemplar, quod ſingularia qualibet in ſuo particulari, & corruptibili ſtatu repræſentat, quælibet ſingularia per diuinam Naturam repræſentantur, vt ſemper non ſunt in orbe terrarum, ſed tamen ſemper ſunt, quia ſunt æterna, non ſecus atque ipſa diuina Natura: & hoc pacto ſingularium Ideæ celebrandæ ſunt.

Ad poſtremam rationem reſpondetur, ſingularia, licèt vilia ſint, quatenus Ideæ comparantur, quia tamen diuinam Bonitatem

tatem

tatem participant, non adeò vilia eſſe, vt per diuinas Ideas cognoſci non poſſint. Qui enim creare non dedignatus, neque Ideas habere dedignatus eſt, & cui non aufert nobilitatem ſingularium creatio, neque aufert nobilitatem ſingularium cognitio. Rationis autem confirmatio negatur: quoniam Dei ſcientia dumtaxat vileſceret, ſi hæc ſingularia, vt externa obiecta, non in ſeipſo cognoſceret. *Singularia vilia nō ſūt quū diuinā Bonitatem participēnt.*

Ad Argumenta Suarez, & Molinæ paucis reſpondetur. Species habet propriam Ideam, non ſolùm vt rationem, ſed vt exemplar, quod non ſolùm cognoſcitur ab Intellectu humano, verùm à diuino. Et ratio eſt: quoniam habet proprium realem Naturæ gradum, à ſingularibus intrinſecè diſtinctum. Nec tamen Deus habet ſpeciei confuſum, & imperfectum conceptum. Quippe ſicut ſpecies in ſe ipsâ eſt Naturæ gradus diſtinctiſſimus, ita illius conceptus, vt illi adæquatus, diſtinctiſſimus eſt. Nec verum eſt, conceptum, quem nos habemus de ſpecie, vt ſpecies eſt, eſſe confuſum; per accidens tamen, ſiue in ordine ad ſingularia, eſt confuſus, quatenus illum habentes non habemus diſtinctum ſingularium conceptum.

Illud poſtremò admonemus, nos de genere verba non feciſſe, quoniam ea, quæ dicta ſunt de ſpecie, illi prorſus adhibitâ proportione accommodantur.

CAPVT VII.

Propriam Ideam Materia partim eſſe, partim non eſſe.

IDeam Materiæ non reperiri ita probatur. Eorum non eſt Idea, quorum non eſt actus. Materia non habet actum: ergo neque Ideam. Confirmatur: quoniam Materia eſt infima potentia, Deus puriſſimus Actus. Ideatum verò quod nō eſt ſuæ Ideæ ſimile, non habet Ideam. Propterea, quum Materia in genere potentiarum infima ſit, Deus in genere actuum Actus ſupremus, quæ proportio, quę ſimilitudo inueniri poteſt inter Deum, & Materiam? Quòd ſi nulla conceditur ſimilitudo, nulla conceditur Idea. Ampliùs: Quę ſecundum ſe cognoſci non poſſunt, nec poſſunt Ideam obtinere. Materia ſecundum ſe cognoſci nō poteſt. Quamobrem neque habet Ideam. *Eorū nō eſt Idea, quorū nō eſt actus.*

R 2 Ca-

Cæterùm adnotandum eſt, Ideam ſecundum ſe vniuersè conſideratam, in proprio conceptu imitationem includere. Proinde quæcumque propriam Ideam imitantur, propriam habent Ideam. Et quoniam vnumquodque ſecundum proprium Naturæ gradum propriam Ideam imitatur, ideò quædam clariùs, quædam obſcuriùs ſuam Ideam imitantur. Quoniam autem Materia prima nõ eſt actu, ſed tantùm potentia, potentia verò vmbra Entis, & in hoc ſenſu Platonici Nõ Ens infra Ens Materiam appellárũt, idcircò Materia ſuam Ideam obſcurè admodum imitatur. Sed quoniam aliquo modo eſt, pura videlicet potẽtia, vt aliquo modo eſt, ſuam Ideam imitatur. Et quia, vt huiuſmodi, proprium Naturæ gradum cõſtituit, & in proprio Naturæ gradu, ab alijs intimè, ac realiter diſtincto, producitur, ideo factum eſt, vt propriam Ideam, ſuæ Naturæ, prout exprimitur, conſimilem obtineat, licèt, prout eadem eſt cum Deo, infinities diſſimilem. Et quamuis ſecundum ſe, quãtum ad eſſe exiſtentiæ, cognoſci non poſſit, attamen ſecũdum ſe, quantũ ad eſſe eſſentiæ, cognoſci poteſt, & eo magis a diuino Intellectu, quò magis eſt omnium rerum ineffabilis perſcrutator. Et in hoc sẽſu D. Thomas rectè aſſirmauit, Materiam primam habere per ſe diſtinctam Ideam, vt diſtinctum conceptũ, ſiue vt notitiæ rationem, alibi verò propriam Ideam vt exemplar nanciſci. Verumtamen, ſi Materia quãtum ad eſſe exiſtentiæ conſideretur, non habet propriam Ideam, neque vt Rationem, neque vt Exemplar. Cauſa eſt: quia forma non eſt forma rei penitus informis, quum formæ proprium ſit formam rei tribuere. Quare ſi res eſt penitus informis, illius non eſt forma. Sed Materia prima eſt penitus informis: ergo nullam habet formam. Idea verò eſt forma, dans rei formam per imitationem: Ergo Materia nullam habet Ideam. Ideò quantum ad eſſe exiſtentiæ tùm cognoſcitur, tùm producitur per Ideam compoſiti, non autem per aliquod proprium exemplar. Et in hoc ſenſu D. Thomas rectè aſſerit, Materiam primam Ideam propriè non habere: & Proclus rectè ait, materiam Cœli propriam Ideam obtinere, quatenus videlicet in Cœlo ipſo conſideratur. Ex quibus patet, non oportere dicere, D. Thomam ſe ipſum retractáſſe, vt perperam aſſirmat Caietanus.

Materia Nõ Ens infra Ens à Platonicis vocatur.

D. Thomas q. de Ver.

Idem 1. Sẽt.

D. Thomas 1. p. q. de Ideis.

D. Thomã ſe ipſum retractaſſe, perperam affirmat Caietanus.

Ad 1.

Ad 1. Argumentum reſpondetur, nullam eſſe inter Deum, & Materiam perfectam ſimilitudinem: nam ille ſupremus Actus, hæc infima Potentia. Cæterùm Materia ſuo modulo Dei ſimilitudo eſt: nam & ipſa eſt, licèt pura potentia; & hoc ſufficit, vt Idea Materiæ conſtituatur.

Ad 2. ex diſtinctione, Quantum ad eſſe eſſentiæ, & quantum ad eſſe exiſtentiæ, patet reſponſio.

Duo poſtremò adnotanda ſunt. Primum eſt: in hac materiá plura fieri Argumenta à Suarez, Vaſquez, & Moliná, quæ in medium non affero, quoniam vnicá illá diſtinctione, Quantum ad eſſe eſſentiæ, & quantum ad eſſe exiſtentiæ, ſi quid probant, facilè ſoluuntur. Secundum eſt: illud, quod tribuitur Platoni, Materiam ſcilicet ex eius ſententiá Ideam nō obtinere, quoniam ab eo ponitur Materia increata, ac proptereà Ideæ concauſa, non autem ab Ideá, quatenus à causâ emanans, hoc pacto refellendum eſſe. Detur, & non concedatur, Materiam ſecundum Platonem eſſe Ideæ cōcauſam, ſemper verum eſt ſecundum Platonem, Materiam primam à Deo productam fuiſſe naturali emanatione, de quá nonnulla in 1. libro: & quatenus hoc pacto produceretur, ſemper in Deo Ideam obtineret. Quod ſufficiat indicâſſe. *Materia obtinet Ideam ex Platonis ſententia.*

CAPVT VIII.

Eorum, quæ numquàm erunt, Ideam virtute ſolùm propriè inueniri, actu verò illorum, quæ vel erunt, vel fuere.

EA, quæ non ſunt, in duplex agmen, vt ita dicam, diſtribuuntur. Aliud eſt eorum, quæ non ſunt, ſed vel fuerunt, vel erunt: aliud eorum, quæ non ſunt, ſed neque fuerunt, neque erunt. Adnotandum autem, quemadmodùm ſi conſiderentur ſpecies, quibus Anima noſtra formatur, aliud eſt Anima, in quá recipiuntur; aliud ipſa earum quidditas intelligibilis, & ſpiritualis, quæ quidem non eſt merè obiectum ipſum, quod in genere ſenſibilium collocatur; aliud verò obiectū sēſibile, qđ repręſentatur, ita, ſi cōſiderētur Ideę, tria in illis intimè reperiri, ac ſub notitiam cadere, & eas videlicet eſſe in diuiná Naturá, & eſſe formas intelligibiles, & obiecta, *Tria in Ideis intimè reperiuntur.*

prout

Digitized by Google

prout ſunt in rerum Naturâ, exprimere, ac repræſentare. Quatenus ſunt in diuiná Naturâ, ſunt actu vna ſimpliciſſima Idea, ut dictum eſt; & quatenus ſunt formæ intelligibiles, diſtinguũtur virtute pluſquam æquipollente: ſed quatenus obiectum ſenſibile, prout eſt in rerum Naturâ, exprimũt, ac repræſentant, quia illud vel eſt actu faciendum, vel eſt poſſibile fieri, ideò ipſæ quoque ex parte obiecti ſenſibilis repræſentati, vel habent rationem actûs, vel habent rationem virtutis. Rationem actûs, ſi obiectum actu faciendum repræſentant. Rationem virtutis, ſi obiectum ita repræſentant, ac ſi operabile eſſet, quodue ſi faciendum eſſet, alijs Ideis, quàm iſtis, non egeret. Primum igitur Nõ Entium agmen habet Ideam actu in diuino Intellectu: quoniam ſuo quæque tempore producuntur. Secundum Non Entium agmen habet Ideam, non actu, ſed virtute, virtute autem non ſolùm vt Rationem, ſed vt Exẽplar. Non habent Ideam actu, quatenus exemplar; quoniam, vt rectè adnotat Bañes, diuina Volũtas determinata eſt ad non operandum per huiuſmodi Ideam:, ſed habet virtute, quatenus exemplar: quia per huiuſmodi Ideam ea, quæ non ſunt, neque erunt, ita cognoſcit, ac ſi eſſent operabilia, quod ſi ea producere vellet, aliâ Ideâ non egeret. Hac diſtinctione optimè vſus facillimè quis ſoluere poteſt Valentię Argumenta, quum ea nil aliud probent, niſi poſſibilium actu Ideam non eſſe.

CAPVT IX.

Deum propriè Ideam malorum non habere.

MAlum propriè Ideã habere videtur. Primò: quia Deus vel impedit, vel permittit mala, vel ordinat bonum: Malorum igitur, non ſecus atque bonorum Ideam in ſe ipſo comprehendit. Secundò, quia malum proprio, & diſtincto conceptu, ſine Ideâ à nobis cognoſcitur: ergo & à Deo.

Ideæ tãtum illorum quæ Deus producit. Sciendum eſt, Ideas, vt exemplaria, penes Deum illorum tantùm eſſe, quæ Deus producit. Nullum autem malum à Deo propriè emanat. Ideò inquit Triſmegiſtus: Ipſi factori Deo nullum malum, aut turpe adſignandũ: nã hæ ſunt affectiones, generationis affeclę, ſicut rubigo ęris, ſordes corporis. Et Pla-

Et Plato in Timæo: Bonorum quidem ſolus Deus cauſa eſt dicendus, malorum autem quamlibet aliam cauſam præter Deum quærere decet. Quod ſanè latiùs explicat Tyrius, maximus Platonicus, vt fortè aliàs, ſi Deus otium fecerit, dicemus. Nullā igitur Deus habet Ideā mali, vt verè ac propriè exēplar. Quòd ſi haberet malum Ideale, aut illud foret malum, aut bonum. Non malum: tùm quia in ipſo Optimo non eſt malum: tùm quia Deus per Ideam mali malum faceret. Non bonum: tùm quoniam iam non eſſet malum; tùm quoniam per Ideam Boni non niſi Bonum effici poteſt. Nullū igitur malum Ideale, quatenus malum, vel ſit malum culpę, vel pœnæ, vel defectus Naturæ, vel negatio maioris perfectionis inuenitur. Communis ratio eſt: quoniam malum, vt malum, vel eſt negatio, vel priuatio: nulla verò aut priuatio, aut negatio, vt huiuſmodi, habet principium, nulla proprium conceptum, quo cognoſcatur; & ideo neque habet principium à diuinis Ideis, neque per illas cognoſcitur. Solùm autem per Ideam Boni cognoſcitur, perinde ac tenebræ per lucem à nobis cognoſcuntur. *Malum vt malum, vel eſt negatio, vel priuatio.*

Ad 1. Arg. reſpondetur, illud tantùm pertinere ad exemplarem diuinam cognitionem, quod ſecundum praxim eminentiſſimam à Deo vel efficitur, vel effici poteſt: huiuſmodi autem non eſt malum.

Ad 2. negatur, malum, vt malum, habere proprium conceptum: quia ſcilicet quodcūque ſit, vt huiuſmodi eſt, negatio eſt, negatio, inquā, imitationis diuinæ Bonitatis, & Naturæ. Et hæc ſufficiant: non enim hic proprius differēdi locus de malo.

PERORATIO.

Reliquum eſt, vt Pythagoræ ſectatores, & vniuerſam Academiam imitemur, qui totam diſputationem conuertere ad inſtitutionem vitę conſueuerunt. Perpendamus igitur, iam ſatis probatum eſſe, nos ad diuinorum Exemplarium ſimilitudinem, ſapientiſſimi Opificis arte conformatos fuiſſe. Quòd ſi ita eſt, cur ad diuina Exemplaria, vt potè affinia, & cognata, tùm contemplatione, tùm amore, non ſecus ac duabus alis innixi, euolare non contendimus? Equidem hiſce alis, vt Zoroaſter, *Quibus alis Anima ad ſuperna eleuatur.*

ſter,Pythagoras,Plato, omneſq; veteres Theologi aſſeuerant, Anima noſtra ad ſuperna eleuatur, eaſq. denotauit Poeta in 6. Aeneidos per geminas Columbas, ad aureum Ramum inueniendum,id eſt,ipſam Fœlicitatem,Comites,& Duces. Sed, quia in hoc Mundi antro obdormiſcentes altiori lumine indigemus, vt a ſomno expergiſcamur, videamus, quàm excitet nos amatoria penitus Idearum coordinatio ad contemplationem ſimul, & Amorem. Deus quidem Hebraicè ineffabili Nomine appellatur יהוה Iehouah, hoc autem plures literæ componunt,Iod, E, Vau, E. Nunc regulis Cabalæ vtamur, vt aliquid dignũ ſcitu eruamus. Iod ſanè continet numerum decem, E quinque,Vau ſex, E quinque; ita vt numerus vigeſimus ſextus diuinum Nomen ingrediatur. Vnitas vero אחד nuncupatur, & hoc nomen plures literæ componunt,Aleph, Chhed, & Daled.Aleph continet vnum, Chhed octo, Daled quattuor; ita vt numerus decimus tertius Vnitatis nomen ingrediatur, quod ſanè dimidium eſt diuini Nominis,quod numerus vigeſimus ſextus ingreditur. Amor denique אהבה nuncupatur, & hoc nomen plures literæ componunt, Aleph, E, Bed, E. Aleph continet vnitatem, E quinque, Bed duo, E quinque, ita vt Amoris nomen decimus quoque tertius numerus ingrediatur, quod eſt dimidium diuini Nominis,quod numerus vigeſimus ſextus ingreditur. Quum igitur nil aliud ſit numerus vigeſimus ſextus, quàm numerus decimus tertius duplicatus,Deus autem ſit numerus vigeſimus ſextus, Amor verò, & Vnitas numerus decimus tertius duplicatus, nonne manifeſtè ſequitur, nil aliud eſſe Deum, quàm Amorem, & Vnitatem,amatoriam,inquam, Vnitatem, & vnum prorſus Amorem? At ſi Vnitas ea eſt, quæ omnes numeros continet in ſe ipſâ,vt in omnium numerorum origine, quid aliud ſignificat,Deum eſſe Vnitatẽ, niſi Deum omnes numeros rerum, omnes Ideas in ſe ipſo, vt in omnium fonte,comprehendere? Si verò Amor,vt inquit magnus ille Dionyſius,eſt vis vnifica, ſuperiora ad inferiora conuertens,quid aliud ſignificat,Deum eſſe Amorem, niſi ad numeros Ideales, intra ſe ipſum gignendos,& ad ea,quæ Mundo continentur, acceſſiſſe? quum Amo-

Amor vis vnifica, ſuperiora ad inferiora cõuertens.

ris ve-

Digitized by Google

ris vehementiâ erga Mundum flagrauit, Deum itaque Vnitatem eſſe, atque Amorem; hoc latiùs nil aliud ſignificat, quàm Deum eſſe Originem omnium rerum, omnes ideales numeros intra ſe ipſum comprehendentem, ob vehementiſſimum amorem, quo ſuam Bonitatem omnibus rebus, & nobis ipſis communicauit. Ex quibus ſciri poteſt, cur dixerit Pherecides, Iouem hunc Mundum non creâſſe, niſi priùs in Amorem trāſformatum. Quum igitur in diuinis Ideis maximus ordo reluceat, lumen illud intelligibile, in diuinâ Vnitate per multiplices numeros ineffabiliter diſtinctum, excitet nos ad contemplationem diuinorum Exemplarium. Quòd ſi ob vehementiſſimum Amorem Idearum ordo in diuino Intellectu refulget, diuinus Amoris ignis, ne ingrati nimis videamur, eum Amoris ignem in præcordijs noſtris accendat, quo diuini Amoris ſemper memores, ſapientiſſimum vnâ & amantiſſimum Opificem laudibus, vt par eſt, proſequamur. Quantus profectò ſit ordo Idealis, Hebræi per vocem פַּרְצוּף parzuf, quod Ideam ſignificat, ritè oſtendunt. Vox enim רָצוּף razuf in Canticis Canticorum ibi legitur, vbi Latinè Conſtrauit, illis ſcilicet in verbis: Mediâ charitate conſtrauit propter filias Hieruſalem. Quæ ſanè vox propriè vertitur lapidibus cōſtrauit, vnde Septuaginta Interpretes Græcè vertunt λιθόστρωτον, id eſt, lapidibus conſtratum, Italicè autem fortè ſignificantius diceretur Mattonato d'Amore. Quid igitur ſignificat Hebraicè Idea, niſi illam ſummo artificio, & ineffabili prorſus ordine à diuino Opifice in ipſâ æternitate productam fuiſſe? Quòd ſi tantus ordo tanto Amore ab æterno factus eſt, iam & nos, ſublati alis Amoris, cum Prophetâ clamemus: In meditatione meâ ignis exardeſcit. Anima quidem triplici fungitur officio, dum vel corpus informat, vel ſpirituali contemplatione exercetur, vel in Deo tota quieſcit, & transformatur. Proinde Hebręi triplici nomine Animam appellant נֶפֶשׁ רוּחַ נְשָׁמָה Nepheſc, Ruach, Neſciamach. Neſciamach halitus interpretatur, & quia in Geneſi, vbi dicitur, Deum inſufflâſſe primo homini ſpiraculum vitæ, pro ſpiraculo eſt vox Neſciamach, ideò corporis informationem ſignificat. Vox Ruach ſpiritus

Maximus ordo effulget in Ideis.

Hebræi triplici nomine Animā appellant.

tus interpretatur, & ideò ſignificat contemplationem, ratione manifeſtiſſimâ, quoniam ſpiritûs eſt ſpiritualia exercere. Nepheſc verò quietem interpretor: quoniam in Exodo cap. 31. vbi dicitur, Deum ſeptimo die quieuiſſe, eſt verbum וינפש uainaphaſc, id eſt, quieuit. Velis igitur, remiſq. adnitendum, vt Animam noſtram, à ſenſuum muneribus alienatam, per amatoriam contemplationem Deo adhærentem, tamdem in ipſo Deo, & in perpetuo Sabbato cœleſtis Hieruſalem penitus conquieſcentem, atque ab omni prorſus labe defœcatam, tamquàm expreſſionem diuini Artificis imaginem, integrè ſanctèq; Deo offeramus.

F I N I S.

AD VIRGINEM DEIPARAM

Author.

Flumina, quæ varias ſub ter labentia terras
    Aequore prorumpunt, ad mare cuncta fluunt.
Diua Parens, quàm iure Maris cognomine dicta es?
    Sol namque ex te ortus, qui ſuper aſtra micat.
Hæc tua, parue Liber, magna, & cœleſtis origo,
    Hoc MARE, quo exoriens amnis in Orbe fluis.
Gaudia iam lacrymas, lacrymæ fecêre lituras:
    Sic MARIS in gremium ditior amnis eas.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

Affirmatio, & negatio duplex medium cognitionis. 25

Agens non producit ſibi ſimile, quatenus agens 80. omne perfectũ generat ſibi ſimile. 51. primarium, & organicum. 63. ſibi ſimile producit, quatenus participat diuina Idearum ſerie. 51

Agentia naturalia non exprimunt per paſſiuam imitationem. 66

Alcinous Platonicus. ibid.

Alienatio à ſenſibus mors quædam 111

Amor quid. 135

Analoga, abſolutè diuerſa, quomodo vniuntur. 79

Anaxagoræ opinio de principijs Mundi transfertur ad Ideas. 101

Angelus miniſtero corpora creauit. 130. Numerus 99.

Anima, non in ſe, ſed in altiori lumine vera cognoſcit. 110

Animæ alæ. 135

Animam triplici nomine vocãt Hebræi. 137

Ariſtoteles conſtituit Ideas in Deo. 45. in quattuor operationes vitam diſtinguit. 60. loco ænigmatum dicendi vſus obſcuritate. 55. negat, Ideas conducere ad noſtrã cognitionem. 107. negat Ideas conducere ad rerum generationem. 112. quattuor genera cauſarum ſtatuit analogicè, quinque abſolutè. 82. quid de Idea Boni. 115. quid de Ideis accidentium. 122. quid vitio vertat Empedocli. 57. ſtatuit Mũdum fluxi originis productũ. 50. vnum affirmat in Deo intellectum 67. vocat Ideam falſam potiùs rem, quàm veram. 99

Ariſtotelis rationes aduerſus Platonicas Ideas num Idearum poſitionem euertant. 49

Ars, ſapientia, ſpecies non eſt multiplex in Deo. 66. & Sapientia principium efficiens, non obiectum. 71

Artificioſa nõ habent peculiares Ideas. 121

D. Athanaſius nihil prius, aut poſterius aſſerit in Trinitate. 25

D. Auguſtinus pag. 7. adſcribit Ideas ſapientibus ante Platonem. 12. aſſerit, omnia proprijs cõdita rationibus. 68. profert de Mundo quoddã mirum. 81 quid de intellectione Dei. 72. quomodo aſſerit res cognoſci per Ideas. 109.

D. Aug. ſententia, neminem ſine Idearum intellectione ſapientem. pag. 1. plurimos extra Iſraelem ad Deum pertinuiſſe. 14

B

Boetius vocat Deum ſupernum exẽplar. 68

Bonitas diuina cauſa Mundi. 113. tot in Bonitates, quot in Creaturas diuiditur. ibid.

Bonitatis diuerſi gradus. 113

Bonum duplex, traſcendẽs, & ſuperſubſtantiale. 119

C

Cabala vnde ortum habuerit. 35

Callimachus quid per fabulam Tireſiæ. 111

Cauſa efficiẽs, vnde motus principiũ. 52

Cerebrum pro Intellectu accipitur. 7

Chaldęi quid per nomina maſculina. 36

Clemens Alexandrinus de præſtantia Idearum. pag. 1. de Sibyllis. 14

Cognitio in eminentia imperfecta. 68 ſingularis perfecta. ibid.

Cognitio Dei in eminentia. 63. per diſtinctas rationes. ibid. quando vileſceſceret. 48

Compoſitio duplex in Angelo. 22

Conceptus vniuerſalium conceptus confuſus. 125
Cor pro intellectu tàm Græcè, quam in ſacris literis accipitur. pag. 10
Creatio particularis quid. 54. ſimplicis emanationis quid. ibid. non pertinet ad Angelum. 130
Creatura poteſt in nihilum dilabi. 65. vna non ſufficit ad imitandam diuinam Bonitatem. 113
Creaturæ omnes tenebræ ſunt, aliunde lumen. 100

D

Dæmones Trinitatem fatentur. 15
Damaſcenus Patrem aſſerit maiorem Filio. 28
Deus cauſa efficiens motus per naturalem emanationem 54. cauſa vniuerſalis. 50. cognoſcit ſe ipſum ratione abſoluta. 57. cognoſcitur negatione, & affirmatione. 26. cur cauſa conſiliatiua. 118. cur Cœlum dicatur. 11. cur decem indutus veſtimentis apud Cabaliſtas. 116. efficit motum, vt omniũ Entium principium. 52. eſſentia omniformis 61. & Natura nihil fruſtra faciũt 52. ex Ariſt. ſententia finis, & efficiens. 51. habet Ideas per modum cauſæ 19. id eſt, quo nihil maius excogitari poteſt. 38. non creauit Mundum 21. non eſt cauſa mali. 135. non habet relationem realem ad Creaturas 96. non poteſt videre ſuam Eſſentiam, quin & Ideas. 72. omnia videt, idem principium, & finis. 10 primum Ens, & primum Verum. 52. primum intellectũ 67. quomodo ſupra Ideas, & ſine Ideis 27. ſupra Intellectũ, Ens, omnia 25. videt Creaturas quò ad eſſe proprium illatum in rerum Natura. 89. vnico incommutabili contuitu intelligit. 72. Vnitas 99. Vnitas, & Amor. 135
Deum facere vt finem, non vt efficientem 52. verè facere vt efficientem. ibidem.
in Deo nihil, quod non ſit Deus. 65
non eſt multitudo intellectorum. 67. quomodo vna tantũ ratio, vnus terminus intellectiuus. 58. vnũ obiectũ abſolutiſſimum, abſtrahens à primario, vel ſecundario. 72. vnum penitus intelligẽs, & intelligibile. 67. vnum tàm intellectum. 66
D. Dionyſius arcet imperitos à lectione operum ſuorum. 35
Diſpoſitio rerum quæ in Deo. 68
Diſtinctio triplex, Rationis, ex Natura Rei, & Virtutis. 91. ex rei natura non eſt formalis formaliter, ſed formalis eminenter 95. omnis vel realis, vel rationis. 93
De diſtinctione rationis, & ex natura rei in diuinis perfectionib. nulla diſcrepantia inter D. Thomam, & Scotum. 91
Diuerſitas durationis infert diuerſitatẽ Naturę. 43
Dominium, & Creatio in Deo habent rationem cauſæ, non obiecti. 71

E

Emanatio Naturalis quid. 54. Naturalis motus. 57
Empedocles de Ideis. 11
Epicuræi negant Ideas. 12
Eſſe Creaturarum in Deo duplex 88. formale perfectius, quã participatũ 41. omne productum participatum 64. repræſentatũ rei eſſe diminutum 90. virtuale duplex. 69
Eſſentia diuina omnem eſſendi modum continet 70. plus eadem iuis Ideis, quàm ego mihimet ipſi 72. primarium Obiectum 73. Ratio cognoſcẽdi illimitata, & ſimul limitata. 86
Ethnicus, diuino lumine illuſtratus, Trinitatem cognoſcere potuit. 13

F

Filius in diuinis poſterior Patre; nec tamen inæqualis 28. minor Patre ſecundum quid, nõ ſimpliciter 29. plena, & tota diuina Eſſentia eſt. 30
Filij Saturni quare Ideas ſignificent. pag. 10

Finis

Digitized by Google

Finis agentis conformitas formæ ad formabile 81. non dat eſſe, & viuere. 52
Formæ complet modum cauſæ efficientis 78. cur terminus à Platone 77. naturalis cur exemplar 47. omnis, quæ ab alio ſuſtinetur, corrumpitur. 40
Formam vocari exemplar, alienum ab Ariſt. 47
Formæ creatæ accidentia potiùs, quàm ſubſtantiæ 100. in materia poteſtate, in Deo actu 61. quæ in rebus multæ, in Deo vna 113. quomodo Ideæ 39. ſenſibiles generationes potiùs, quàm formæ, pag. 2. ſenſibiles quare ab Heraclito mate appellantur. ibid. ſenſibiles, quàm intelligibiles, Idearum participationes. 109

G

GRadus diuerſi Bonitatis. 113
ex Gradibus rerum oportet aſcendere ad Primum in genere. 67

H

HAbitus, & actus Intellectus. 66
Hebræi quid per vocem ſciamaim, ſiue cœlos. 100
Homerus quid per antrum Ithacenſe. ibid.
Homo imago vmbratilis. pag. 5.

I

IDea Boni reijcitur ab Ariſtotele 114. cur dicitur ſubſtantifica 65. dicta à videndo 60. diſtincta eſt, vbi eſſe eſſentiæ diſtinctum eſt 123. eminentiſſima pag. 9. eorum, quæ nūquàm erunt, & eorum, quæ vel erunt, vel fuere 123. & Ideatum differunt ſecundum eſſe 43. & Ideatum idem ſecundum repræſentationem. ibid. exprimit per ipſum Deum alia extra Deum 39. imago ſimul, & exemplar. pag. 5. in ſacris literis tradita eſt. pag. 4. mali 134. materiæ 131. non eſt homo, factus ad imaginem Dei. pag. 5. per ſe primò eſt cauſa formalis, ſecundariè finalis, tertiò efficiens 77. quodammodo trahit diuinam Voluntatem 82. quot modis appelletur 60. relatio, Ideata abſoluta 63. relatio ſimul, & ſubſtantia 38. ſeſe habet vt ratio, atq; vt exemplar 123. ſphæra intelligibilis 11. triplex, per Intellectum, per Artem, per Naturam pag. 4. vt Idea, forma imitabilis. 78
Ideæ nomina. 60
Ideæ proprium rem exprimere. 24
Ideæ quid ſint 65. accidentium 122. æquiuocè ſunt formæ ſenſibiles 39 artificiatorum 121. conducunt ad rerum generationem 112. conferunt ad ſympathiam rerum, & Magiam naturalem 104. congrua ratione Filio accommodantur 106. quomodo ſingulis ſeſe participãt 113. definitrices, & effectrices 66. diſtinguuntur virtute pluſquàm æquipollente 68. habent rationem obiecti 71. inſolubilia vincula. pag. 9. multiplices relationes ad Creaturas 67. nõ acquirunt perfectionem ab externis 38. non ſolum diſtinguuntur vt quod, ſed vt quo 70. non ſunt ipſæ Creaturæ, ab æterno productę, 64. numeri ſunt pag. 11. numeri ſuperexcedentes 44. percipiuntur ſcientia, non opinione 37. per ſe ſubſiſtentes, & inter nubes errabundę 33. proportiones numerorum 64. propria ratio influxus determinatæ formæ per paſſiuã imitationem 80. propriè pertinent ad totam Trinitatem 104. quomodo ab eſſentia diuina diſtinguuntur 73. quomodo inuicem ſimiles 102. quomodo ſecundarium Obiectum 73. quomodo vel verius, vel non verius, vel æquè verum habeant eſſe cum Ideatis. 101. quomodo vita dicitur. 6. ſeminales rationes. 12. ſimilia eſſe debent Ideatis. 64 ſingularium. 124. Specierum. ibid. ſunt æternæ. 38. ſunt in Deo & ſpecies, & verbum. 24. vbi magis, vel minus perfectè. 41. verè, ac propriè ad Deum pertinent. 3. vna actu, plures virtute. 69. Vnitates multiformes in ipſa Vnitate omniformi. 103

Idea-

Idearum definitio. 65. doctrina confert ad Sapientiam, ad Religionem, ad morũ diſciplinam. 1. in lumine res cognoſcuntur duplici modo. 108. maximus ordo. 137. numerum diuinæ ſimplicitati non repugnare. 57. & 66. ordo ſenarius. 41. triplex genus, Angelicum, Humanum, Diuinum. 2
Ideas eſſe probatur 71. tantùm, non formas eſſe tribuere, fatua opinio. 49
Ignorantia quid. 58
Illimitatum ex ſe, ac tamen limitatum quid ſit. 86
Inſtantia originis ſecundum Scotum quid. 91
ad Intellectionem tria, Obiectum, Species, & Verbum. 74
ex Intellectis omnib. oportet aſcẽdere ad primum Intelligibile. 67
Intellectus ad materiam quomodo ſe habet. 41. diuinus quomodo & congregat, & diſgregat Ideas. 104. Intellectus, intellectũ, & intellectio quomodo in Deo. 57
Intellectum pluribus ſpeciebus informari; includit imperfectionem. 10
ex Intellecto, & intelligibili fit magis, & vnum; quàm ex materia, & forma. 67
ex Intellectu, & intelligibili quo magis vnum fit, eo perfectior cognitio. ibid.
Intelligi, & generari idem eſt in ſubſtantijs intellectualibus. 10
Intelligentia præſtantior, quæ plura expreſſius intelligit. 61
Intelligentiæ virtus num infinita. 54
Intelligentiæ, & Cœli res neceſſariæ, attamen à Deo. 53
Iupiter, Saturnus, Pluto quid typicè indicant pag. 10
Iuſtinus Martyr. 17

L

LVnæ concauum quid apud Platonem. 37

M

MAteria cognoſcitur analogia, & negatione. 40. non Ens infra Ens. 132. tertium genus Idearum. 40
Mens compoſita non re, ſed ratione 25. creauit Mundum 21. cur Luna dicatur. 34. diuina per Mineruam ſignificatur. 7. diuina quot modis ab Aegyptijs appelletur. 8. eſt Verbum in diuinis, non Mundus Archetypus. 30. & Deus ſunt Idea Boni, re, non ratione. 23. ipſo Bono minus auguſta ex Plat. ſent. 25. multorum ſententia prima Creatura. 16. non eſt prima Creatura, ſed Verbum in diuinis. 17. quomodo formaliter Ideas. 19. variè à varijs appellatur. 16. vna tantùm perfectiſſima. ibid. vocatur à Platone Intellectus, Rex, &c. 31
Mercurius vnam ſtatuit actu Ideam. 69
Mundus æternus iuxta Ariſt. 54. non habet ex ſe motum, ſed à Deo. 52. ſenſibilis antro tenebroſo ſignificatur. 100. triplex Idealis, Angelus, Anima, Natura. 8
in Mundo intelligibili veræ res inueniuntur. 2
in Mundo ſenſibili ſunt vmbræ, & imagines. ibid.

N

NAtura cauſa ordinationis in Mundo. 45
in Natura diuina maxima mixtio coincidit cum maxima ſimplicitate. 103.
natura quidquid fit, à ſuo ſimili fit. 63
Neceſſarium duplex. 54. habet cauſam efficientem. 53
Nemo Sapiens ſine Ideis. pag. 1.
ex Numeris oportet aſcendere ad Vnitatem. 67

O

OBiectum primarium, & ſecundarium. 116. quid, & quomodo in Deo. 71
Ordo duplex in Deo. 46. duplex in exercitu. ibid.
Orpheus cur Deum Noctem appellet. 117. de Verbo in diuinis. 17. quid per octonarium numerum hymnorum maritimorum. 100.
Orphei ſententia de Ideis. pag. 9

Per-

Digitized by Google

P

PErfectiones diuinæ quàm variè à variis nuncupentur. 92. diuinæ vnum prorſus in Deo. ibid. in Deo vniformiter exiſtunt ſecundum virtutem pluſquam æquipollentem. 94

Perſæ cur Animas ſpeluncam ſubire affirmant. 100

Philonis opinio de homine,quem vocat Ideam. pag. 5.

Plato affirmat, Ideas conducere ad rerum generationem.112. aſſerit prouidentiam. 19. cognoſcit 2. Trinitatis Perſonam. ibid. conſtituit Ideas ſingularium. 127. Ideas conducere ad noſtram cognitionem 107. in Ideis totam oſtendi animi diuinitatem. 1. conſtituit Ideam materiæ.133. credit ſine rationibus.19.de Idea Boni quomodo cum Ariſtot. concilietur. 120. in ſympoſio quid per Orpheum, & Alceſtem. 212. multa ex Prophetis,& Triſmegiſto. 17.numquàm excogitauit Ideas, per ſe ſubſiſtentes 33. per ænigmata docet 35.ponit Ideas ī diuina Mente 34. quare Mētem Lunam appellet. 36. quid de Idea Boni. 116. quid de Ideis artificiatorū. 121. quid de Mundo intelligibili, ac ſēſibili. 2. quid de principiis rerum. 1. quid de Saturno. 9. quid per nuptias Pori. 117. quomodo aſſerit, res cognoſci per Ideas. 109. refert omnia ad Ideas. 63. ſtatuit Deum, omnium Opificem. 128. vbi ponit plura genera Idearum. 37. vocat Ideā rem ipſam,& verā. 99.

Platonis aſſertiones de Mente. 21. conſenſus cum Sacra Theologia. 24

Platonici de Ideis ſingularium diſcrepant. 129. quid per Neptunum. 100 quidam negabant ſingularium cauſarum actiones. 50. quidē ſtatuebant Ideas eiuſdē penitus quidditatis cum Ideatis. 45

Platonicorum opinio de Mente, vide Mens.

Potentiæ vnius exercitatio alteram obtundit. 109

Principium mouens Phyſicè duplex 53.

Productio Mundi duplex, temporis, & originis. 50

Prouidentia diuina ſine Ideis non ſeruatur. 1

Prouidentia exigit Ideas. 19. per modum cauſæ potiùs negligentia. 70. quantum Principi competat. 63.

Pythagoras de Ideis. 11. ferè nihil ſcripſit. 35.

Pythagorici per maſculum naturam perfectam, imperfectam per fœminam deſignarunt. 36

Q

QVidditas differt à re,cuius eſt quidditas.42. Idealis duplex. ibid.

Quidditatis duplex identitas. 43

R

RAdda quid de reſpectu Ideali. 85. Raptus Moſis, & D. Pauli. 111

Ratio diuinæ Bonitatis non eſt ratio Sapientiæ. 95

Ratio duplex,ratiocinans, & ratiocinata.93.intelligendi duplex,Non exemplaris,& exemplaris. 86. intelligendi exemplaris non eſt prius, quàm intelligatur, ſed tantùm non exemplaris. ibid. ratiocinata, non formaliter formalis, ſed formalis eminenter. 93

Rationes Ariſtot. aduerſus Platonicas Ideas. 42

Relatio Dei ad Creaturas eſt virtualis pluſquàm æquipollens. 98

Relationes ſolæ reales, quæ diuinas Perſonas conſtituunt. 84

Relatiua tertii ordinis. 97

Reſpectus duplex,vel realis, vel æquipollens reali 96. nullus actu in Deo Idealis. 83

Reſpectus Ideales directa cognitione à diuino Intellectu conſtituuntur ibid. virtute pluſquàm æquipollente diſtinguuntur. 84

S.

SApientia diuina Cauſa diſtinctionis rerum 113.

Digitized by Google

Saturnus puritatē mētis ſignificat pag. 9 ſignificat contemplationem, & quietem, ideò & Deum. ibid.

Saturni filij quare Ideas ſignificent. 10

Scotus aſſerit Patrem Filio priorem, nec tamen diſſentit à D. Thoma. 28. docet, Creaturas cognoſci i Deo præcisè, vt in primario mouēte 88. in opinione Idearum nō diſſentit à D. Thoma ibid. quam relationem ponat in Deo ad Creaturas 96. Quomodo negat Ideales reſpectus. ibid.

Seneca de Ideis. 12

Sibyllę quomodo ſupernaturalia myſteria nouerint. 14

Similitudo analoga inter formam, & Ideam. 79. diuina vltimus rerum finis. 82. leonis in ſpeculo. 89

Species diuinitus illapſa. 108. impreſſa, & eius munera. 24

Sphynges. 35

Stoici de Ideis. 12

Suarez ad quod genus cauſæ reuocat Ideam. 25

Subſtātia nulla vera præter Deum. 99

Subſtantiæ, quæ ſunt in hoc Mūdo per modum accidentium, ſunt in Deo per modum ſubſtantiarū. 113. ſunt in hoc Mundo per modum accidentiū. ibid. veræ, quæ ſibi ipſis innixæ. 99

D. THomas affirmat, Deum habere reſpectum ad Creaturas non realem, ſed rationis. 96. conſtituit Ideales Reſpectus. 84. de accidentium Ideis ſibi conciliatur. 114. de materia Ideæ ſe ipſum non retractauit. 132. in opinione Idearum non diſſentit à Scoto. 88. negat, Filium Patre poſteriorem eſſe. 28. num opinetur, Ideam non diſtingui etiam vt quo. 70. ponit vtrumque Ideæ modū, obiectiuum, & formalem. 76. vnum in Deo affirmat intellectum. 67

D. Thom. ſententia, neminem ſine Idearum intellectione ſapientem. 1

Tria in Ideis, forma intelligibilis, obiectum, diuina Natura. 133

Trinitas naturæ lumine haud cognoſcitur. 15

V

ex VArietate Idearum cæleſtium Numinum turba excogitata eſt. 7

Venus ſignificat pulchritudinem. 12

Veteres Metaphoris doctrinam occultarunt. 35

Virgilius quid à Sibyllis. 14

Viri mali ſumma arcana Dei patefaciunt. 16

Virtus cognoſcens, quò magis vna, eò maioris perfectionis. 69. plusquàm ęquipollens. ibi.

Vita ibi, vbi internum exercendæ operationis principium. 6. omnis prius in ſe ipſam generat, quàm extrà. 62.

de Vnitate intima Idearum. 103

Vnum, vt præcisè vnum, non eſt æquipollenter multiplex. 94

Z

ZOroaſter aſſerit Mentem ipſo Bono poſteriorem. 25

Zoroaſtri, & Chaldæorum dicta de Ideis. 8

F I N I S.

ERRATA SIC CORRIGANTVR.

Pag. 16. *verſ.* 1. *tam. leg. tamen.* 17. 9. *ſcitis. iſtis.* 18. 9. *tulit. protulit.* 20. 28. *In primo ſenſu profectò veras & formales Ideas Deo tribuēdas, in poſtremo negandas. leg. In poſtremo ſenſu profectò veras & formales Ideas Deo tribuendas, in primo negandas.* 32. 27. *uocat. uocaret.* 61. 8. *ille uerſus Auſonij in quibuſdam Exemplaribus in titulum capitis* 2. *irrepſit, cum debeat caput antecedens concludere.* 74. 21. *Ens. Ideas.* 89. 27. *affirmat. affirmant.* 92. 17. *Algarele. Algazele.*

Correctore typographico Ioanne Thuilio Mariamontano Tirolenſi &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA